John Carter Brown
Library
Brown University

BREVIS PARAPHRASIS

APOCALYPSIS S. IOANNIS APOST. ET EVANGELISTÆ.

DOCTORE D. DIDACO Andres Rocha Hiſpalenſi, Authore. In Regia Regum Cancellaria Aduocato, & in Regia Limana Academia Veſpertina Legum Cathedræ Profeſſore.

DICO EGO OPERA MEA CHRISTO DOMINO noſtro, cuius ſapientia, & fortitudo ſunt.

Anno 1653.

LIMÆ,
In officina IVLIANI SANTOS DE SALDAÑA.

APROBACION DEL MVY R. P. M. Fr. Bartolome Badillo del Orden de N. P. San Aguſtin, Catedratico de la Catedra de Santo Thomas en la Real Vniuerſidad de Lima.

Excelentiſsimo Señor.

GRande anuncio de felicidad deue ſer al mundo la expoſicion del Apocalypſis, pues tantas lagrimas coſtò al Euangeliſta S. Iuan el ver eſſe libro cerrado de tinieblas tan cuydadoſas, que ni entre las luzes del cielo ſe hallaua quien lo pudieſſe ſer a ſu inteligencia, haſta que le conſolaron diziendo, que el romper los ſiete diamantes de los ſellos, auia de ſer vitoria de ſangre del Cordero; pero mientras no le dizen el interprete, que en virtud de ella podrà decifrar ſus enigmas, aun queda en pie la cauſa de ſu llanto; ſino es que digamos lo que vemos, que el eſcogido a tan dificil empreſa auia de ſer perſona de tan eſtraña facultad, eſtado, y profeſſion, que nada que eſcriuieſſe, ſe penſaſe ſuyo, y aſſi todo ſe atribuyeſſe al Cordero de los ſiete ojos, que no los tiene en ſi para ſi ſolo, ſino para embiarlos, y repartirlos a la tierra, para que mirando otros con ellos, ſe deua todo a ſu viſta. No dudo capaces todos los eſtados de coloquios diuinos, quando San Aguſtin mi Padre, equipara en merito el matrimonio de Abrahan con la virginidad del Baptiſta. Pero el eſtilo de Dios ha ſido ſiempre laurear los interpretes de ſus eſcrituras de los innubiles laureles de la Teologia, que en las ſoledades de las Religiones nacen, y ſe deſcuellan; no de los caſados Iuriſtas, aunque ſean tan floridos ingenios, como el del Doctor Don Diego Andres

Rocha, cuyas tan aplaudidas opoſiciones en la niñez a Catedras de Prima, ſi rayauan auroras al nacer, eran tambien anuncios lucientes del Sol de medio dia, que aun en hora de Viſperas, deshaziendo ſombras de tarde, auia de alumbrar las leyes, como luzero al Sol, que phoſphoro le guia por delante la mañana, heſpero le ſigue beſando ſus huellas por la tarde. Pero que le cayeſſe a vn hombre en penſamiento començar por el vltimo libro de la Biblia, por lo mas ñublado del cielo, engolfandoſe en aquel mar de vidrio, eſpejo de tan admirables viſiones, antes de reconocer ſus orillas, abeja que ſin auer libado las primeras flores del mas ameno campo, ſe le ayan venido todas a la lengua, y a la pluma, para formar aquel panal de miel, que de la boca del Leon, por lo cordero muerto, combida a prueba a la Igleſia ſu Madre. Quien no reconoce aqui los dones grandes del Padre de las lumbres, y el ſoplo de aquel eſpiritu, que *vbi vult ſpirat, vocem eius audis, & neſcis vndè venit, aut quo vadit.* La mayor aprobacion de la luz, es la que puede dar vn ciego, que ya vè con ella lo que antes no via, ni podia entender. Quantas vezes acometia yo entrar en eſſe Apocalypſi, laberinto de mas monſtruos, que el fingido de Creta, pero ſin el hilo de Ariatne, que nunca le pude hallar, juzguè a temeridad la entrada, y a prudencia, y veneracion el retirarme de ella. Pero ya con la luz que ha dado nueſtro Autor, me haze facil la entrada, y la ſalida. Pienſo que lo mas cerrado de eſſe libro, es por lo deſenquadernado, al parecer humano, de ſus hojas, que no parece ſe conſiguen, ni llaman las vnas a las otras. El ſaber leer no eſtà ſolo en conocer las letras, ſino en ſaber juntarlas, todo eſſo ha conſeguido felizmente a mi parecer nueſtro Autor, pues ha deſcubierto el hilo tan ſutil de las edades del mundo, que guiado por el, qualquiera ingenio, es dueño de todas las entradas y ſalidas de aqueſſe laberinto. La contextura de las hojas del libro, le mueſtra tan

arti-

artificiosamente enquadernado, que se echa de ver, que es obra de la sabiduria de Dios, y assi no se me ofrece que dezir por censura, mas de lo que el mismo Dios dixo a S. Pedro: *Quod ego probaui, ne tu commune dixeris.* Encarecen los Expositores con razon la mucha dificultad que les cuestan sus estudios, las vigilias, y meditaciones de muchos años, trasiego de muchos libros para formar una palabra digna; pero aqui la misma facilidad con que corre la pluma al rayo de la lengua, y la lengua al relampago del pensamiento, sin estudio, ni conato humano, es argumento de inspiracion diuina en los escritos; *quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem rerum, quæ in nobis gesta sunt*, comiença su Euangelio S. Lucas, y alli San Ambrosio, *conati vtique illi sunt, qui implere nequiuerunt, sine conatu enim sunt donationes, & gratia Dei, non conatus est Matthæus, non Lucas, non Ioannes, sed diuino Spiritu dictãte, sine molimine, cæpta compleuerunt.* Assi lo siento, y que siendo V. Exc. seruido le podrà dar la licencia, que justissimamente merece el Autor. Lima, y Otubre 18. de 1653.

Fr. Bartolome Badillo.

SVMA DE LA LICENCIA.

TIene licencia del Excelentissimo Señor Don Garcia Sarmiento de Sotomayor, Conde de Saluatierra, Virrey del Perù, &c. el Doct. D. Diego Andres Rocha para imprimir el libro intitulado, Breue interpretacion del Apocalypsi. Fecha en los Reyes a 20. de Otubre de 1653. Troncosso.

Apro-

APROBACION DEL MVY R. P. *Leonardo de Peñafiel de la Compañia de Iesus, Catedratico de Prima de Teologia.*

POr orden del Señor Doct. D. Martin de Velasco y Molina, Chantre desta santa Iglesia, Prouisor y Vicario General deste Arçobispado, y Catedratico de Prima de Teologia desta Real Vniuersidad, è visto la docta, ingeniosa, y nueua interpretacion con que à declarado el obscuro enigma del sagrado Apocalypsis el Doct. D. Diego Andres Rocha, Abogado de la Real Audiencia de la Ciudad de los Reyes, y Catedratico de Visperas de Leyes en la Real Vniuersidad de S. Marcos; Iurisconsulto insigne a lo humano, y ya lo es a lo diuino, siguiendo el consejo de San Gregorio Nazianzeno libello 3. sent. spiritualiũ

Pectore fac responsa Dei meditere fideli
Consultus Iuris sic eris etherei.

Es ya Iuris Consulto diuino, quando se à aplicado estudioso a la continua meditacion de los celestiales oraculos del Apocalypsis, de quiẽ dixo el Sabio Padre Alfonso Salmeron prælud. 4. era semejante a la celebre quadratura del circulo, que a juicio de Aristoteles, es scible, pero aun

no

no sabido, y comprehendido. *Apocalypsis est velut quadratura circuli, quæ est quid scibile, sed nondum scitum.* No alcançò Salmeron a ver la genuina exposicion, que a dado el Doct. D. Diego Andres Rocha, que a auerla visto, dixera, que era ya, no solo scible, no solo inteligible, pero aun sabida y entendida la quadratura deste circulo mysterioso, ilustrado con tan sutil nouedad, y rara agudeza, que sola ella pudiera hallar la vniõ de textos al parecer tan desunidos con tantas histerologias, que le perturbã el orden, y serie, tã dificil de hallar, que es vna de las causas principales, a que atribuye el Docto Padre Francisco de Ribera, la incomprehensibilidad deste mar de dificultades, en que naufraga toda humana sabiduria. *Apocalypsis est mare magnũ, procellis, & tempestatibus plenum, quo omnis humana sapientia deuoratur.* Luego podrà parecer diuina la sabiduria de nuestro nueuo, y feliz Interprete, pues no a naufragado en pielago tan profundo, y proceloso. Merece sin duda el Autor, q̃ se imprima obra en que tan loablemente á trabajado, para que se comunique a todo el Orbe doctrina tan conforme a la verdad de nuestra Fé Catolica; y a quien ajusta el elogio, que dio Sydonio

nio Apolinar lib. 4. epist. 3. aprobando otro libro semejante al que se à fiado a mi censura. *O liber multifariam pollens. O eloquium, non exilis, sed subtilis ingenij. Ad hoc vnica, singularisq; doctrina, & in diuersarum rerum assertione monstrabilis, cui paucis multa cohibenti, cura fuit causam potius implere quam paginam. Quodque pretiosius tota illa dictio sic cæsuratim succincta, quod profluens: Quam rebus amplam, strictámq; sententijs sentias plus docere, quam dicere.* Ita censeo. En este Colegio de S. Pablo, a 11. de Nouiembre de 1653.

Leonardo Peñafiel.

EL Prouisor de los Reyes, &c. Vista la aprobacion del muy R.P. Leonardo Peñafiel de la Compañia de Iesus, concedo licencia, por lo que toca a la juridicion ordinaria Eclesiastica, para que se pueda imprimir la interpretacion que tiene hecha al Apocalypsi de S. Iuan el Doctor Don Diego Andres de la Rocha, Abogado desta Real Audiencia, y Catedratico de Visperas de Leyes en esta Real Vniuersidad. Fecho en Lima, en onze de Nouiembre de mil y seiscientos y cincuenta y tres años.

El Doctor Don Martin
de Velasco y Molina.

Por mandado del Señor Prouisor.
Melchor de Ouiedo. Sec.

SYNOPSIS TOTIVS OPERIS
AD LECTOREM.

APOCALYPSIS materia adeò difficilis est, vt excedat humanæ naturæ captum, qua propter omnes fere Doctores in hoc cõsentiunt, nullam dari in sacris literis difficiliorem prophetiam, & expressè fatentur se ignorare huius libri reconditissima mysteria, neque esse adhuc reserata, clausa enim sunt ab eo qui claudit & nemo aperit, vt infra cap. 3. n. 7. sed nõ proinde spes nobis intelligendi prorsus eripitur, alioquin non mitteretur septem Ecclesijs in cap. 1. n. 11. nec diceretur S. Ioanni infra cap. 22. n. 10. *Ne signaueris verba prophetiæ libri huius*, omnia tempus habent, & vt prophetauit Isai. cap. 29. n. 11. & n. 18. in nouissimis diebus auferetur caligo de oculis cœcorum, & etiã surdi audient verba libri signati, & Daniel cap. 12. num. 4. *Signa librum vsque ad tempus statutum*, explicabitur sane liber Apocalypsis, quamuis eius difficultas videatur insuperabilis, explicabitur in gratia Saluatoris nostri, qui fidelibus suis in Euãgelio promisit nosse mysteria regni Dei; & quanam ratione, rogo, S. Ioannes in hoc opere præmisisset, seruis Christi palam manifestãda esse hæc mysteria, si in vniuersum intelligendi spem nobis excluisset? Ridebat olim (nunc sine spe veniæ acerbissime luget) superbissimus ille Lutherus dum contemplabatur Apocalypsim, & audenter dicebat, Apocalypsis asserit fore beatos, qui seruant quæ in ea scripta sunt, nullus erit beatus, infandus ille dicebat, quia mysteria illa non sũt intelligibilia, sic refert Viegas in cap. 1. comment. 1. sect. 4. n. 1. O miser, quam misere errasti, fateor per humanam quidem sapiẽtiam, Apocalypsim non esse intelligibilem, sed per gratiã diuinam, rem esse facillimam. Dicet aliquis, sapiẽtissimis Theologis & Magistris mysteria hæc hucvsque manifesta

ti non sunt, cur audet iuris aſſecla, legum Doctor ſacræ prophetiæ verba interpretari? Sed nō eſt abreuiata manus Domini, potēs eſt Deus ex lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ, Giganti Goliat exiguus videbatur omnis populus Iſrael, & ad pueri Dauidis occubuit imperiū, latuit myſteriū hoc Apocalypſis ſapientiſſimos viros, ne fortè crederent, virtute propria ſe theſaurum inueniſſe, pateat Doctorum minimo, vt videant Gentes mirabilia Dei, qui abſcondit myſteria à ſapientibus, & intellectum dat parvulis. Sit nomen eius benedictum in ſæcula, Amen. Sed iam totius operis compendium, ſummo digito, & quaſi per indicem conſtituo, vt ſic faciliori methodo Apocalypſis ſeries percipiatur. Vt autem rem ab origine repetamus, præcipuus Apocalypſis ſcopus verſatur circa iudicium extremum & vniuerſale, atque nouiſſima mundi tempora, vt quemadmodum ſacra volumina, aut Biblia cæperūt à Geneſi mūdi, & primis illis naſcentis Orbis principijs, ita & mundi fine terminentur, & hac ratione liber Apocalypſis, omniū vltimus eſt, & vltimo loco conſtituitur. Igitur in cap. 1. agitur de iudicio finali, nam prima verba S. Ioannis poſt ſalutationē, hoc manifeſtiſſime cōprobant, ibi: *Ecce venit cū nubibus*, quæ verba ſunt de Chriſto Dño vēturo ad iudicium, & hoc etiam cōfirmat tuba illa magna, de qua. n. 10. & expreſſius hoc indicant ſigna illa tremenda, quibus Chriſtus apparet inter candelabra. n. 13. nam gladius ille acutus, qui procedit ab ore, oculi igniti, & pedes in camino ardenti, iram iudicantis, & vindictā denotant. ¶ In capite 2. & in cap. 3. fit præambulum iudicium inter Eccleſias, nā iudicium debet incipere à domo Dei, & eſt pulcher trāſitus de iudicio vniuerſali ad iudicium perſonale Prælatorum, & in his capitibus premia bonis, ſupplicia improbis Chriſtus Dominus diſtribuit, exemplo eius quod futurum eſt in iudicio extremo, & hæc duo capita ſunt veluti parentheſis rerum tractandarū. ¶ In cap. 4. repetit materiam iudicij vniuerſalis, quam interpolauerat iudicio illo

Eccle-

Ecclesiarum, & in hoc capite iterum in voce Archangeli & in tuba Dei Christus descendit de cœlo, & sedet in sede maiestatis iudicans vniuersum Orbem, sedent cum eo viginti quatuor seniores, id est 12. Apostoli, totidemque filij Israel, Patres spirituales & Prophetæ, qui ex eius progenie descendunt, omnes habent coronas & thronos, quia iudicium datũ est eis, procedunt de throno supremo Christi fulgura, & tonitrua, nam dies ille, dies erit iræ & vindictæ. ¶ Iris in circuitu sedis Christi, est eius Crux, quæ apparebit in iudicio, nam hoc signum, fuit iris ad placandũ Deum, & iris post diluuium, Christum crucifixũ representabat. Dicitur viridis, quia hic color tribuitur Christo, & eius passioni, ex illo Euangelij *si hæc fiunt in viridi*, item quia Crux est arbor viridis, sic eam vocat Ecclesia, item propter eius viridẽ, & immarcescibilem gloriam. ¶ Quatuor animalia plena oculis, vniuersitatem Sanctorum exprimunt, sub leone Pontifices, sub vitulo Martyres, sub homine Confessores, sub aquila Virgines, & ideò ibi incessabili voce animalia proclamant dicentia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* ¶ Mare vitreum simile crystallo, empyreum representat. ¶ Deinde in cap. 5. liber scriptus ponitur in dextera Christi, signatus sigillis septem, & est rectissimus ordo, nam liber hic historiam mundi continet, & est liber præsciẽtiæ Dei, in iudicio liber scriptus proferetur, in quo totum continetur. Septem sigilla, quibus liber clauditur, hoc significant quod septem annorum millia, vt intelligamus, librum illũ historiæ mũdi, qui liber cæpit à creatione Orbis, clausum esse ab origine septẽ millennarijs, quibus peractis, omnibus patebit in iudicio vniuersali, nam ante clausus est, & signatus sigillis annorum, & nisi Christus multa ex illo libro referaret Ecclesiæ, non posset percipere temporũ vicissitudines, & sequentes successus. Septem cornua Agni septem sunt sacramenta noua Ecclesiæ, vnde, & statim post hæc cornua cantatur canticum novũ. ¶ In cap. 6. incipit reseratio sigillorũ à primo sigillo, quod

continet primũ nascentis Orbis millenarium, ibi manifestatur equus albus, per equũ mũdus significatur, quia est equus quo omnes vehimur, super hunc equũ sedet Adamus, vel super hunc equum sedit gratia originalis ab initio in primo homine, gratia habet coronam, vnde dicebat Apostolus, *reposita est mihi corona iustitiæ*, habet etiã arcum, quia attingit à fine vsq; ad finem, est etiã alba, vt infra cap. 19. n. 14. & exiuit vincens, vt vinceret, quia gratia omnia vincit, & etiã vitia, quæ sequũtur in equis sequentibus. Secundũ sigillũ est secundũ mundi millenariũ, in hoc ponitur equus rufus, vt ostendat mundũ in hoc millennario tinctũ fuisse luxuria, & homicidijs Gigantum, rufus color symbolum est effrænatæ luxuriæ, effusique sanguinis, gladius ille magnus in equo, fuit mundi cataclysmus, itẽ ex homicidio, & luxuria pax de terra sublata fuit. Tertium sigillum designat tertium mundi millennarium, in quo equus huius mundi fuit niger propter fraudes, & mẽdacia, nam hoc millenario cæpit auaritia, & mercatura, cæperunt pondera, & statera, item pretia rerum, & fraudatio ponderum, vt patet in textu. Quartum sigillum designat quartum millennarium, in quo potissimum regnauit superbia, quæ dicitur mors, & infernus; superbia subiecit terram, variaque mortis genera induxit. Cum iam mũdus omni malorum colore tinctus esset, necessaria fuit reparatio, vnde natus fuit in quinto sigillo, & millennario mundi diuinus ille medicus Christus Iesus, qui depelleret sanguinis fluxum, caliginem, & pallorem mundi, & rectè sub hoc sigillo ponitur altare, id est Christus, qui est altare, super quod offeruntur orationes Sanctorum, vel ponitur altare sub hoc sigillo, quoniam mũdus in quinto millenario fuit ara, & altare Saluatoris, ponuntur etiam Martyres sub hoc altari, quia eo millenario sub Imperatoribus Nerone, Domitiano, & Diocleciano, cæterisque paganis, multi martyrio coronati sunt. Sextum sigillum designat sextum mundi millennariũ, quod currit ab anno mil-

lesi-

lesimo nostræ redemptionis, in hoc ponitur terræmotus magnus, id est magna mutatio Christianæ religionis sub Antichristo, qui intendet mutare tempora, & leges, & obscurare claritatem veri Solis Christi, & lunam, id est Ecclesiam, & fideles sanguine purpurare, tũc accipiet incrementum Sarraceniſmus, & Babylon dicetur ciuitas magna. Quia tamen prælium aduersus Ecclesiam tunc exardescet, ideo cap. 7. Angeli Satanæ cum ipso dracone, opẽ, & auxilium ferunt Antichristo, & asseclis eius, & erit tũc magna tribulatio Ecclesiæ, copiosaquẽ martyrum multitudo ex omni tribu, populo, & gente, sed tũc insurget sanctus Michael, qui habet signum Dei viui, & stabit pro filijs Ecclesiæ, dum conterat Antichristi, & suorum insaniã vt dicitur cap. 7. & cap. 12. De hoc sexto sigillo & millennario mundi agitur vsque ad caput vigesimum, in quo constituendum est septimum sigillum, & licet per anticipationem collocatum sit in cap. 8. illud factum fuit, ne rumperetur ordo sigillorum, & S. Ioannes hoc ipsum ostendit, dum in d. cap. 8. affirmat, in apertura septimi sigilli factum fuisse silentium quasi media hora, silentium enim illud est de sigillo septimo, nam per dimidiam horam nihil vidit de sigillo septimo, vnde Angeli tubarum, & sequentes visiones pertinent ad sigillum sextũ. ¶ In cap 8. & 9. agitur de nouissimis plagis, quibus Deus vexabit Antichristianos. Tubæ, & phialæ sunt idem inter se, & Angeli tubarum sunt ijdem Angeli phialarum, & est rectissima sequela, nã cap. 6. & cap. 7. inducitur bellum acre aduersus Ecclesiam, pro qua pugnabunt S. Michael & Angeli eius, & in phialis vindictæ Dei omnes improbi deprimentur. In hoc tempore erunt portenta, & prodigia pro Ecclesia admodum vexata, & in septem tubis, ciuitas diaboli, toto orbe diffusa, corruet, nõ secus ac olim Iericho. ¶ In cap. 10. Angelus fortis calcat mare, & terram, hic est S. Michael, qui in septima tuba perdet omnes malos, in hoc tempore loquentur tonitrua, id est prophetiæ Apoca-

lyps

lypsis tunc ab omnibus intelligentur, quoniam in nouissimis illis diebus venturus est S. Ioannes prædicare cum Henoch, & Elia, de quorum prædicatione, & martyrio statim agitur cap. 11. in quo etiam ponitur conuersio Iudæorum ad fidem, nam decima illa pars ciuitatis diabolicæ, quæ cadit in martyrio, & resurrectione Eliæ, designat decem tribus, ab initio Antichristum sequẽtes, & vt dicitur in d. cap. 11. n. 19. aperietur templum, id est Ecclesia, & videbitur arca in ea, id est populus Israel, tunc post hæc sequetur septima tuba, & phiala, in qua omnes peccatores deperibunt, & ciuitates Gentilium postrabuntur, Babylonq, non audietur amplius, sed veniet Sabbathũ Ecclesiæ sub septimo sigillo, de quo agitur cap. 20. vbi ponitur resurrectio prima Ecclesiæ, & fidelium, resurrectio de morte peccati, & de maxima ignominia, qua laborabunt fideles sub Antichristo, ad vitam fidei, & summam fœlicitatem, & per illud Sabbathum erunt vestimenta hominum cãdida, donec solutus dæmõ ea coinquinet suis suggestionibus, nam seducet Gentes Gog, & Magog ad nouissimũ prælium contra Ecclesiam, sed breuissimo tempore omnes hi, igne misso de cœlo, peribunt, sequeturque iudiciũ vniuersale, ac tandem incipiet Sabbathum illud Æternũ, quod nulla temporis iniuria poterit cessare, & vt inquit Esaias cap. 66. n. 23. tunc erit Sabbathum ex Sabbatho, nã ex Sabbatho, id est septimo millennario fœlicitatis Ecclesiæ, Sabbathum æternum orietur. ¶ De Sabbatho Beatorum, & eorum thronis agitur in cap. 21. & 22. ¶ Dices, si in hac Apocalypsi agitur de iudicio vniuersali, vt principio dixi, quare in ea agitur de primis mundi millennarijs, & Imperijs, quæ ab initio in finem mundi imperitarunt? Multis modis responderi potest. Primo quod ocasione libri historiæ mũdi, quem Agnus reserauit in cap. 5. omnes mundi euentus tanguntur, præcipuè cũ in iudicio omnia sint manifestanda. Vel secundo dici potest, non solum esse materiam Apocalypsis de iudicio vniuersali, nam quamuis

uis iudicium vniuersale, sit præcipuus scopus, tamẽ & alia multa comprehendit, præcipue ea quæ pertinẽt ad nouissimos dies, & ad incrementum & casum Sarraceni smi, & Antichristi sub nomine Babylonis, comprehendit etiam exodum Ecclesiæ in nouissimo tempore, conuersionẽ Iudæorum, & Sabbathum Ecclesiæ. ¶ Dices iterum nostrũ argumentum non videri cõpletum, neque quadrare toti Apocalypsi, nam à capite vndecimo trasitum fecimus ad caput vigesimum, prætermissis octo capitibus; facilis est exitus huius dubij, nam vt probo cap. 8. in Apocalysi frequens est hysterologia, & repetitio rerum, vndè prædicta octo capita reuocantur ad antecedentia, & in illis geminata oratione agitur de rebus maioribus, de quibus necessarium fuit, Ecclesiam reddere certiorem. ¶ Caput duodecimum cõcordat cum cap. 6. Signum magnum mulieris amictæ Sole, est epitheton Ecclesiæ. Partus mulieris, est partus quidam mysticus ad fidem in conuersione gentium. Pugna illa draconis & S. Michaelis, illa est eadẽ, de qua cap. 7. Draco habet septem capita, id est septem regna, in quibus ab origine mundi imperitauit. Habet decem cornua, id est decẽ Reges qui ei, extincto Antichristo, breui tempore obediẽt. Fuga mulieris designat exodum Ecclesiæ, de quo cap. 6. *Et cælum recessit.* ¶ In cap. 13. agitur de Regno Turcarum, de quo cap. 6. in fine, & de Babylone, id est Constantinopoli. Agitur etiam de Antichristo, & ostenditur huius sceleratissimi astutia, nam omnia, quæ scripta sunt de Christo Domino, quæ iã adimpleta sunt, in se adimplenda mẽtietur, vndè finget mortem, & resurrectionem, finget miracula, & fictam Ecclesiam instituet, & pseudo prophetas. Hæc Ecclesia, siue synagoga Satanæ, in d. cap. 13. inducitur sub bestia ascendẽti de terra, & dicitur, quod habebit duo cornua similia Agni, id est, duo sacramenta panis & vini, quæ fingẽt in sua synagoga, hæc erunt character eius malignantis Ecclesiæ, quæ deseruiet illis pro baptismo, quod patet, nam in d. cap. 13. dicitur,

quod

quod character ponetur in manu, & in fronte, & hoc postea explicat in cap. 17. n. 4. dum calix ponitur in manu Babylonis, & mysterium in fronte, vt calix, & hostia sit in manu, & fronte, quoad cultum eius synagogæ, & hæc bestia faciet, omnes habere characterem, vel *nomen*, id est, quod sint de illa synagoga, vel *numerum*, id est, legem eius, quæ apud Græcos constat numero 666. de hac cadē bestia, & eius interitu agitur in cap. 17. & 18. Tandem in cap. 14. aduersus synagogam Antichristi, inducitur mons Siō, id est Ecclesia, & aduersus legem eius, inducitur euangelium æternum, quod est in Ecclesia Romana, & aduersus calicem, & characterem eorum, inducitur calix iræ Dei, & fit iudicium ad auferendam potentiam reproborum in falce messoria, & vindemiatoria, & messes aridæ, botrique immaturi, qui calice, & pane impiorum alebantur, mittuntur in lacum iræ Dei, id est, in infernum, quod postea explicat in cap. 15. dum eum appellat mare tanquam vitreum mistum igne, & sancti ponuntur super illud, liberati ab illa miseria. ¶ In cap. 16. agitur de phialis vindictæ Dei, & pertinet ad caput octauum, & ad tubas Angelorum, quæ seruantur ad extinctionem Sarraceniſmi. ¶ In cap. 19. specialiter agitur de extinctione Antichristi. Hæc sunt, benigne Lector, huius Apocalypsis vestigia, quæ ducunt sine tramite, & anfractibus ad desideratum portum, & sane in hoc itinere aperiendo, tantum fuit mihi laboris exantlatum, vt dignus sim tua venia, neq; enim in conpendis verbis, & Latini sermonis Grammatica potui summam adhibere diligentiam, tum propter impedimenta officij, tum quia solet sensus veritatis amitti, si potius ad verba quam ad mentem attendamus. Sit nomen Domini benedictum, Amen.

D. Didacus Andres Rocha.

DOCT. D. IOSEPHVS DE LOS REYES Quintero Principe Regalis Cancellariæ Limenſis Aduocatus, & in Regia Ciuitatis Regum Academia Publicus Sacrorum Decretorũ Interpres, Auctoris leuir amiciſsimus, hoc amoris & admirationis mnemoſynon in laudem Interpretis appendit.

INter alia quæ ſacer ille Apoſtolus Gentium Paulus diuinitus effatus eſt, hoc etiam in admirationem diuinæ ſapientiæ raptus protulit oraculum in epiſt. ad Rom. cap. 11. *O Altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius & inueſtigabiles viæ eius* verba ſanè Paulo digna, quæ mihi quoque nouæ cuiuſdã admirationis argumentum ſuppeditãt in hoc opere. Quis enim, mi Didace, non demirabitur ſi attentê conſpiciat nouam hanc & inopinatam interpretationẽ? Fateor te legum ſolertiſſimum Magiſtrum, & omni bonarum literarum notitia præditum, ſed hoc adhuc non præſtat ad explicationem Apocalypſis, quæ inſtar ſpheræ grauiſſimi ponderis Interpretes obruit, & vt dicitur Eccleſiaſtici 6. *Tanquam lapidis virtus probatio erit in illa, & non demorabuntur proijcere illam*, & Zachar. 12. *Omnes qui leuabunt eã, conciſione lacerabuntur*, quæ verba Apocalypſi pulchrè aptat Viegas in epiſt. ad Odoardum. Scio iuriſprudentiam non ſolùm verſari circa res humanas, ſed etiam diuinas, & non dici perfectum Iuriſconſultum, qui Sacrorum Bibliorum elementa non attrectauerit, Cap. Super ſpecula de Priuileg. Verum abſtruſa adeò ſunt huius Prophetiæ arcana, vt abſque diuina reuelatione explicari non poſſe multi fuerint opinati, vt putat Perer. in Prolog. Apoc. diſp 1. Euolat inſtar velocis aquilæ ſuper alios Prophetas vnus

Euan-

Euangelista Ioannes, & humani cuiuslibet ingenij verticē infra se relinquit. Hæc, mi Didace, fuit ratio dubitādi. Sed magna pro te & opere tuo adest decidendi ratio. Primo quia is solet esse apud Deum ordo, vt res maioris pōderis crediderit parvulis, memento quid fecerit cum Dauid & Goliat, cum Iudith. & Holoferne, cum Barac & Sisara, hæc mihi exempla sunt, vt existimem te quoque in hoc opere misericordiam consecutum fuisse, qui cum varijs fortunæ dotibus condecoratus sis, te omnium minimum reputas, & soli Deo glorias quæris & tribuis. Habeo, & alia multa, vt facilè mihi persuadeam, tibi Deū lucem in hac interpretatione præstitisse, nam Parentes tui omnium vce religiosissimi fuere, & eximiæ charitatis ministri, & tu quoque eorum mores hæreditasti. Habeo alia non minoris ponderationis argumenta, nam nomen & cognomen te huius Prophetiæ Interpretem prædicant, cognomen enim tuū expressum est in sacris literis, & est anagramma vallis ACHOR, quæ aperit spem ad intelligentiam, Oseas cap. 2. n. 15. *Et vallis Achor ad aperiendam spem*; ACHOR eisdē literis constat ac ROCHA, & hoc ipsum quod expressum erat apud Prophetam, tibi Deus in mentem iniecit, dum explicans caput decimum huius Prophetiæ, hæc addis: *Vnde ego possum dici Interpres Apocalypsis, qui spem ad intelligentiam aperio, quasi prænuncius diuini Vatis, qui venturus est nouissimis diebus Apocalypsim explicare.* Illud etiam mihi mysterium est, quòd ante te scripserit Angelus Rocha, præclarissimus Apocalypsis Interpres, quem magnifacit P. Alcazar in Proœm. notat. 26. Misit enim Deus ante te Angelum, qui pararet tibi viam ad explicationem Apocalypsis, ad quam semel & iterùm huius cognominis Auctores elegit, & segregauit. Nec abs re hoc loco velut excessus hic subiungetur, quòd nomē tuum ANDREAS rem ipsam fortiùs firmat. *Andreas* fortis interpretatur, vt patet in Indice nominum Hebraicorum, Chaldæorum & Græcorum, vnde Angelus ille fortis, cuius voce tonitrua Apo-

caly-

calypsis consonarunt in cap. 10. tibi peculiariter Apocalypsis interpretationem prædicebat, præcipuè cum ibi cõstanter affirmes, nil aliud esse loqui tonitrua in voce Angeli, quam explicari totius Apocalypsis mysteria, & libellus ille apertus in manu Angeli fortis hanc tuam interpretationem indicauit, nunquam enim vidimus explicationem huius Prophetiæ tam breui volumine digestam, nec alius hucvsque liber tam apertus apparuit. Illud etiã non omittam, non sine mysterio in hac Regum Limana Ciuitate scriptam fuisse tuam interpretationem, est enim Patronus huius Metropolitanæ Ecclesiæ S. Apostolus & Euangelista Ioannes, ad cuius aras te Deus ab Hispali reuocauit, vt sub vmbra alarum huius aquilæ magnæ radios diuinæ lucis exciperes. Lætare ergo in tanta felicitate. Scripsere olim laici multi, & interpretati sunt sacros libros, Minutius Felix Causidicus Romani fori scripsit in Euangelia, Boecius Seuerinus Senator & vir Consularis librum de Trinitate ad socerum conscripsit, Albinus Anglicus scripsit super Genesi, Ioannes Gerson Cancellarius multa circa Theologiam sacram scripsit, Ioannes Pico Mirandulanus, & nepos eius super Genesi, vt refert Cardin. Bellarm. Scripsere etiam super Apocalypsim Anselmus Laudunensis laicus, Cassiodorus, Albinus, & Mazerius quos refert Alcazar vbi supra, sed nulli (credo) tantam Dominus lucem quantam tibi concessit. Lætare ergo, & gratias, vt soles, illi retribue pro omnibus quæ retribuit tibi, interim ego coniectos in te meos oculos distineo in contemplanda virtutis luce qua clares, sapientiæ claritate qua splendes, prudentiæ splendore quo nites, nobilitatis nitore quo radiaris. Vale.

INDEX

INDEX CAPITVM.

Cap. I.	*Fol.* 1.
Cap. II.	*Fol.* 11.
Cap. III.	*Fol.* 16.
Cap. IIII.	*Fol.* 20.
Cap. V.	*Fol.* 25.
Cap. VI.	*Fol.* 33.
Cap. VII.	*Fol.* 39.
Cap. VIII.	*Fol.* 44.
Cap. IX.	*Fol.* 51.
Cap. X.	*Fol.* 56.
Cap. XI.	*Fol.* 60.
Cap. XII.	*Fol.* 67.
Cap. XIII.	*Fol.* 74.
Cap. XIIII.	*Fol.* 83.
Cap. XV.	*Fol.* 92.
Cap. XVI.	*Fol.* 93.
Cap. XVII.	*Fol.* 93.
Cap. XVIII.	*Fol.* 94.
Cap. XIX.	*Fol.* 96.
Cap. XX.	*Fol.* 97.
Cap. XXI.	*Fol.* 102.
Cap. XXII.	*Fol.* 106.

CAPVT PRIMVM APOCALYPSIS.

DIVISIO.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Textus iſte diuiditur in quatuor partes. In prima ponitur origo reuelationis. In ſecũda inſcriptio, ſeu epigramma legationis, ibi: Iohannes ſeptem Eccleſijs. *In tertia ponitur dies, & locus, quo Ioanni facta fuit reuelatio, ibi:* Fui in ſpiritu in Dominica die, *& ibi:* Fui in Inſula, &c. *In quarta apparet Chriſtus Dominus inter candelabra, extremi Iudicij ſigna reportans.*

TEXTVS.

APOCALIPSIS Ieſu Chriſti quam dedit illi Deus, palam facere ſeruis ſuis quæ oportet fieri cito: & ſignificauit mittens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Iohanni. N. 1.

DISCIPVLVS, quem diligebat IESVS, Euangelium, & prophetiam hanc orſus eſt à Chriſto Domino. *Apocalypſis* eſt nomẽ Græcum, Latine eſt reuelatio, ſiue prophetia, deſcendit à verbo *apocalyptin*. Verbum *calyptin*, eſt obtegere, præpoſitio *apo* abſentiam, ſiue remotionem ſignificat apud Græcos, vndè *apocalyptin*, eſt detegere, atque reuelare

uelare. Hæc vox Apocalypsis, authoritate D. Hieronymi cap. 1. ad Galat. à septuaginta interpretibus fuit reperta, atque composita. *Iesuchristi.* Genitiuus hic nō stat in oratione actiue, sed passiue, quia reuelatio hæc facta fuit Christo vt homini, vt patet ex sequentibus: *quā dedit illi Deus*: id est reuelauit Deus hanc prophetiam Christo Domino secundum humanitatem, Christus Ioanni per Angelum, Ioannes Ecclesiæ. Reuelatio tamē facta fuit animæ Christi Domini ab instanti suæ sanctissimæ Conceptionis, non obscure, sed aperte, palā enim, nō per ænigmata loquitur Christo Deus, vt notat Alcasar in præsenti. *Apocalypsis Iesuchristi*, plenior videretur oratio, si adijceretur: *hæc est Apocalypsis Iesuchristi.* Verum nihil imperfectum est in hac prophetia, nam mos est sacris Prophetis, cōtracto sermone scribere, sic Esaias cap. 1. *Visio Esaiæ*, sic Ecclesiastes, *Verba Ecclesiastes*, & idem Salomon, parabolas scribens, dixit, *parabolæ Salomonis*, neque adiecit, hæ sunt parabolæ Salomonis.

Notandum quod hæc prophetia, siue Apocalypsis omnibus alijs præstantior, atque excellētior est, quanto enim Christus Dominus omnibus prophetis excellit, tanto hæc eius reuelatio præstantior, & nobilior haberi debet. Continet enim hæc prophetia (vt patebit ex dicendis) totius mundi latissimam historiam, nec decebat, Christo Domino minus reuelari. Suboritur tamen hoc loco illa dubitatio, quod Christo Domino nihil potuit reuelari, quia cū simul sit Deus, & homo, nihil potuit ignorare, reuelatio enim est rei occultæ manifestatio. Respondetur, in præsenti non esse sermonem de Christo Domino, vt Deus est, sic enim nihil ei potuit reuelari, ita respondent Doctores sacri.

Quæ oportet fieri cito. Relatiuum, *quæ*, est in accusandi casu in plurali, quasi dicat, *eorum quæ oportet fieri cito*, & est sensus: Deus concessit Christo Domino, seruis suis palam facere mysteria omnia, sibi vt homini reuelata, quæ vsq;

ad

ad mundi finem forent euentura. In his verbis duplex cõtinetur scrupulus. Primus, quòd prophetia hæc solum videtur versari circa futura, propter verbum illud *fieri*. Hic scrupulus sic sedatur. In prophetijs, quoties nullum nascitur inconueniens, non curamus de proprietate temporis, præteriti, vel præsentis, omnia enim ad existentiam reuocantur quasi præsentia, vnde S. Ioannes in hac Apocalypsi, passim pro futuris præterita, pro præteritis vsurpat futura, quod & cæteris Prophetis familiare, & vsitatum est, & vt rem ad speciem qua de agimus, contrahamus, sese nobis offert expressus Danielis locus cap. 7. n. 17. *Hæ quatuor bestiæ magnæ: quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra*, duo autem prima regna Assyriorum, & Ætiopum, iam surrexerant, tempore quo Daniel prophetabat, & tamen inquit *quæ consurgent de terra*, ergo non est alienũ ab stylo prophetico, quod futurum trahatur ad præteritum, & sic verbum *fieri*, de quo in præsenti, non debet excludere præterita. Vnde fit, vt omnes fere interpretes in hoc consentiant, hanc Apocalypsim, multa in se comprehendere, quæ iam ea tempestate præterierant, quia facta est reuelatio *S. August. Strab. Albert. Hug. Ricard. Rupert, Gilb. Beda, & Haymo*: idque non obscure innuit S. Ioannes in hoc cap. 1. n. 19. *Scribe ergo quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri*. Vbi notandum est cum Alexandro de Hales ibidem, Apocalypsim esse de præteritis, ibi: *quæ vidisti*, de præsentibus, ibi: *quæ sunt*, de futuris, ibi: *quæ oportet fieri*. Idq; euidẽtius patebit cap. 6. Alter scrupulus manat ex aduerbio *citò*, nam si hæc prophetia, totius orbis vsq; ad finem mũdi continet historiam, licet citò inchoanda veniat, non videtur citò finienda. Facilis est exitus huius dubij, si animaduerterimus, totum tempus huius mundi, esse, & fore breuissimum, si æternitati comparetur, & antiquus Codex incerto authore habet, *citò*, id est, in præsenti tẽpore, quòd totum cita volubilitate decurrat, vnde Apostolus magister Gentium S. Paulus ad Hebræ. cap. 3. totum mundi tẽ-

pus appellauit hodie, *Adhortamini vos per singulos dies, donec hodie cognominatur*, & S. Ioannes nouissimā horam appellat totum tempus, quod labitur à Christo passo, in mūdi finem, epist. 1. cap. 2. n. 18. & pulchre S. Ambrosius lib. de fide resurrectionis, ex eo quod Christus Dominus vna die conduxit omnes operarios Matth. cap. 20. inquit, *mundi tempora annus vnus est, & quid mirum, quando dies vna est.* Breue enim est, quid quid fine clauditur, & cito dicitur implēdum propter infallibile Dei decretum, quia cœlum transibit, verba autem eius non præteribunt. Et nota quod id quod apud S. Ioan. est *cito*, apud sanctos Euangelistas est *prope, statim, in proximo* S. Matth. cap. 24. S. Lucas cap. 21. S. Marcus cap. 13. & in hoc cap. 1. n. 7. *ecce venit*, & infra cap 22. *ecce venio velociter, ecce venio cito*, & Apost. ad Philip. cap. 4. *Dominus prope est*, & Sophonias cap. 1. n. 14. & cap. 2. num. 2.

Et significauit mittens per Angelum suum seruo suo Iohanni, id est, declarauit Ioanni Christus hanc prophetiā, misso nuncio, quoniam ei datum est, hanc prophetiam patefacere seruis suis, vndè Dominus seruis suis dixit: *omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis* Ioann. cap. 15. & alibi dixit, *vobis datum est nosse mysterium regni Dei.* Qualis autem Angelus S. Ioanni prophetiā ostenderit, siue manifestauerit, difficile est aperire. Olim existimaui fuisse Angelum S. Gabrielem, ad quem pertinet explicare prophetias, Daniel cap. 8. n. 16. *Gabriel fac intelligere istum visionē.* Hodie tamen existimo hunc Angelum esse sanctum Michaelem, fundamentum habeo in materia Apocalypsis, quę magna ex parte est de extremo iudicio, de Regno Ecclesiæ, de extinctione Babylonis, in his omnibus primatum tenet S. Michael, vt dicemus infra, & S. Ioannes, magnus fuit gloriæ S. Michaelis in Asia prædicator, in eiusque honorem, ac memoriam templum erexit, vt ex Pantaleone Diacono refert. Viegas in cap. 12. Apoc. comment. 1. sect. 18. n. 7. vndè credibile est, hanc prophetiam ministerio

S. Mi-

S. Michaelis accepisse. Rursus cum sanctus Michael sit patronus Ecclesiæ, cap. 12. Dan. *Michael Princeps magnus, qui stat pro filijs populi tui*, ad eius prouidentiam spectabat, hanc prophetiam Ecclesiæ reuelare, & manifestare.

Qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesuchristi quæcumq; vidit. N. 2.

Relatiuum *qui* referendum est ad S. Ioannem. Originale Græcum conuenientius legit, *os emartyresse ton logon tu theu, cai tem martyrian Iesou Christou, cai osa eide*, id est: qui testatus est Verbum Dei, & testimonium Iesuchristi, & quæcumque vidit; distinctius quidem, & clariori sententia, vt notat Pannonius in præsenti, & Haymo vir eruditissimus addit *in his quæcumque vidit*, quod & vetus codex habet. Sãctus Ioannes testimonium perhibuit Verbo Dei cap. 1. *Deus erat Verbum*, perhibuit etiam testimonium veræ humanitatis Christi, *& Verbum caro factum est.* Item testatus est omnia, quæ ipse vidit cap. 19. n. 35. *& qui vidit testimonium perhibuit*, & cap. 21. n. 24. *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus quia verum est testimonium eius.* Quod si iuxta vulgatam, sensum quæris: *& testimonium Iesuchristi quæcumque vidit*, in quibus explicandis, Doctores se pungunt suis acuminibus, ita, & simplici via, illa verba interpretare. Quæcũque vidit S. Ioannes in hac Apocalypsi, habent testimoniũ Iesuchristi, id est, fidem, & authoritatem eius, nam Angelus Christi Domini legatus, esse Christi Domini Apocalypsim testatus est, & sic, quæcumque vidit Ioannes, testimonium sunt Iesuchristi, vndè necesse est, vt vera sint, quia in hoc natus est Saluator noster, vt testimonium perhibeat veritatis, S. Ioannnes in Euang. cap. 18. n. 37.

Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ N. 3.

huius

huius: & ſerunt ea quæ in ea ſcripta ſunt, tempus enim prope eſt.

Ex his verbis conſtat, non ſatis eſſe ad vitam æternam conſequendam, audire, & legere præcepta Dei, ſed hoc amplius, neceſſarium eſſe, ea obſeruare, non enim dixit tãtũ. *Beatus qui legit, & audit*, ſed addidit, *& ſeruat.* Apoſt. ad Roman. cap. 2. n. 13. *Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.* S. Iacob. 1. *Eſtote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vos met ipſos.* S. Luc. cap. 11. n. 28. *Beati qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Verba illa *tempus enim prope eſt*, explicata ſunt ſup. n. 1. niſi mauis more prophetico hæc dicta eſſe. Habacuc cap. 2. n. 3. *Veniens veniet, & non tardabit*, & alibi. *Prope eſt vt veniat, & dies eius non elongabuntur.*

N. 4. Iohannes ſeptem Eccleſijs quæ ſunt in Aſia Gratia vobis, & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, & à ſeptẽ ſpiritibus qui in conſpectu throni eius ſunt.

Hic tanquam Chriſti Domini legatus S. Ioannes ſcribit ſeptem Eccleſijs, quæ ſunt in Aſia minori, nunc dicta *Anatolia*, ſed cũ Apocalypſis ſeptem Aſiæ Eccleſijs mittitur, omni vniuerſali Eccleſiæ deſtinatur, vt infra cap. 2. n. 24. *Vobis autem dico, & cæteris*, vt ſit S. Euangeliſta, omnium Eccleſiarum Doctor, quibus tanquam Egregius Imperij nuncius, gratiam ſimul & pacem, ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, attulit, ac multa ſecreti cœleſtis myſteria patefecit. Præmittit ſalutationem ſecundum cõſuetudinem epiſtolarum, & Eccleſijs optimum optat, dũ dicit *Gratia vobis, & pax.* In his enim vinculum amoris, conſortium charitatis, ſerenitas mentis, principium, medium,

medium & finis perfectionis, tranquillitas animi, & simplicitas cordis, inueniũtur. Pax est securitas quædam conscientiæ, hilaritas, & gaudium, & scriptũ est Esaiæ cap. 32. *quod opus iustitiæ est pax.* Ex fide gratia, ex gratia iustitia, ex iustitia pax, & Christus Dñs factus est nobis iustitia, & pax. 1. Corinth. 1. & ad Ephes. 2. In vera pace sunt omnia bona. Vndè Apostolus ad Philip. cap. 4. *& pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra.* Iusti solum habent pacem, vt Psalm. 118. *Pax multa diligentibus legem Dei*, impijs non est pax, Esai. cap. 48. quorum cor, vt mare feruet, Esai. cap. 57. Pax vera solum est in Regno Christi, *regnum eius iustitia, & pax*, de hac prophetauit Dauid Psalm. 71. *orietur in diebus eius iustitia, & abundatia pacis.* In tenebris non est pax, nec gaudium, vnde S. Ioannes in Euang. cap. 1 inquit tenebras, id est reprobos, non comprehendisse veram lucem, id est Christũ, qui de se dicit *ego sum lux mundi* S. Ioan. cap. 8. & fideles suos, quos in vera pace constituit, lucem appellat. Matth. cap. 5. *Vos estis lux mundi*, & Apost. ad Ephes. cap. 5. *eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Lux enim Christus Dominus, orta est ad demonstrandas vias pacis. S. Luc. cap. 1. n. 78. *Visitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Hanc pacem SS. Angeli in natiuitate Saluatoris nostri hominibus bonæ voluntatis annunciarunt, fuitque salutatio Saluatoris *Pax vobis.*

Ab eo qui est, &c. In præsenti, gratia, & pax petitur à Christo Domino, in quantum Deus est, vnde à tota sanctissima Trinitate pacem, & gratiam deprecatur, cum sit vnus Deus. Quod Persona Filij, Verbum Æternum, comprehendatur his verbis, ex eo constat, quod dicit *qui venturus est*, & expressius infra. n. 8. *qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens*, præcipuè si aduerterimus ibi sermonem esse de Christo Domino iudicãte vniuersum mũdum, nam præmisserat. *Ecce venit cum nubibus, &c.* & ibi:

& plangent se super eum omnes tribus terræ. Comprehensa est autem expresse persona Filij, & non Patris, & Spiritus Sãcti, quia cum Apocalysis sit Iesuchristi, & in Regno eius sit iustitia, & pax, ideò de Domino nostro tantum mentionem fecit S. Ioannes, sed cũ sermo sit de Christo vt Deo, tota beatissima Trinitas, in quantum vnus Deus est, comprehenditur. Deus prior est omni tempore, ipse omnia vidit tempora, fuit semper, est, & erit. Exodi cap. 3. n. 14. *Ego sum qui sum, qui est misit me ad vos,* & Iob. cap. 14. n. 4. *nonne tu qui solus es.* Septem spiritus in præsenti, sunt septem Angeli Primarij, qui astant ante diuinum thronum, & vniuerso Orbi præsident, de quibus Tobias cap. 12. n. 15. *Ego enim sum Raphael Angelus vnus ex septem qui astamus ante Dominum.* Hi sunt illi septem spiritus missi in omnem terram, de quibus infra cap. 5. n. 6. Dices à rebus creatis non petitur gratia, & pax. Respondeo, nil implicat, quod ab eis petatur tãquam administris, præcipuè cum semper astent ante thronum Dei.

N. 5. Et à Iesucristo qui est testis fidelis primogenitus mortuorum, & Princeps regum terræ, qui dilexit nos & lauit nos á peccatis nostris in sanguine suo.

Precatur etiam gratiam, & pacem à Christo Domino, in quantum homo est. Hìc à Christo vt homine, supra à Christo vt Deo. Sed quomodo prætulit Angelos Christo homini? Id fecit, ne rũperetur ordo sequentis orationis, in qua laudes Christi Domini Ioannes persequitur. Testis fidelis Christus multis ex causis dicitur, vel quia testimonium reddidit sub Pontio Pilato, vt inquit Apost. 1. ad Timot. cap. 6. n. 13. vel propter id, quod ipse Redemptor dixit. *Ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati,* Ioan. cap. 18. vel quia fideliter testimonium dedit de

Patre

Patre. Ioan. cap. 17. erat enim testis populorum Esai. cap. 55. n. 4. *Ecce testem populis dedi eum.* Vndè infra cap. 19. n. 11. *fidelis, & verax* vocatur.

Primogenitus est Christus Dominus in quãtum homo, omnis creaturæ Apost. ad Colos. cap. 1. n. 15. est etiam primogenitus mortuorũ, quia primus resurrexit à mortuis, & ita primus intrauit in gloriam suam, ad Corinth. cap. 15. n. 20. *Primitiæ dormientiũ*, & ad Roma. cap. 6. n. 9. in omnibus enim primatum tenet, & est ante omnes, sicut primogenitus Apost. ad Colos. cap. 1. n. 15. Est Princeps Regum terræ, vt infra cap. 19. n. 16. *Rex Regum*, & cap. 17. n. 14 *Dominus Dominorum, & Rex Regum.* Data est ei omnis potestas in cœlo, & in terra, Matth. cap. 28. n. 18. est enim caput, non solum Ecclesiæ, sed omnis principatus, & potestatis, vt inquit Apostolus ad Roman. cap. 8. n. 29. ad Ephes. cap. 1. n. 22. ad Colos. cap. 2. n. 10. Per mortem obtinuit principatum, ad Hebræ. cap. 2. n. 9. *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum.* Esai. cap. 9. n. 6. *factus est principatus super humerum eius*, & cap. 22. n. 22. *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius.* Regnauit enim à ligno Christus.

Tandem adeò dilexit nos Christus, vt pretiosissimum suum sanguinem funderet ad lauãda peccata nostra, Esai. cap. 53. n. 5. *Liuore eius sanati sumus*, suoque pretiosissimo sanguine nos emit, & redemit à durissima inferni seruitute, vt infra cap. 5. n. 9. & cap. 14. n. 4 & Actor. cap. 20. n. 28 & 1. Corinth. cap. 6. n. 20. & cap. 7. n. 23. & ad Ephes. cap. 2. n. 13. & ad Colos. cap. 1. n. 14. & 1. S. Petri cap. 1. n. 18. & 1. S. Ioan. cap. 1. n. 7. & S. Paul. ad Hebræ. cap. 9. n. 12. vndè empti dicimur pretio magno, & textus iste alludit ad verba Apostoli. *Et hæc aliquando fuistis, sed abluti estis, &c.*

Et fecit nos Regnum, & Sacerdotes Deo, N. 6.
& Patri suo, ipsi gloria, & imperium in secula seculorum Amen.

Sicut effectus amoris Christi cognoscitur in effusione pretiosissimi sui sanguinis, ita in eo quod fecerit nos regnum, & Sacerdotes Altissimi, non solum voluit dici Rex Regum, sed quod nos reges essemus, vt infra cap. 17. n. 8. *quoniam Dominus Dominorum est, & Rex Regum, & qui cum illo sunt vocati, & electi, & fideles.* Vel fecit nos Regnum, quia iusti Regnum Dei nuncupantur, infra cap. 3. n. 12. *qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei.* Sacerdotes dicimur, quia in sortem Domini electi sumus. Item quia Christus Dominus simul est Rex, & Sacerdos, nos vocat Reges, & Sacerdotes, alludit infra cap. 5. n. 10. & 1. Petri cap. 2. n. 9. Sumus enim omnes Christiani, spirituales, & mystici Sacerdotes, spiritualiter insiti Christo, tanquam membra capiti.

N. 7. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ, etiam, Amen.

Hæc verba non facilem apud Doctores inueniunt cohærentiam cum antecedentibus, sed facilem interpretationem recipiunt, si animaduertimus, hæc verba esse cardinem materiæ Apocalypsis, & ab his incipere narrationem rerum tractandarum. In epistolis enim post exordiũ, & salutationem, subsequitur narratio rerũ. Vndè S. Ioannes primo præmisit salutationem ab illis verbis, *Iohannes Septem Ecclesijs*, deinde post salutationem, ait, *ecce venit cum nubibus*, quibus verbis indicat, materiam Apocalypsis, & præcipuum eius scopum esse de iudicio vniuersali, & extremis mundi temporibus, tunc apparebit testis fidelis, qui nescit mentiri, tunc sedens in nubibus, iudicans vniuersum Orbem, Rex Regum deprehendetur, tunc reproborum risus conuertetur in luctum, tunc plangẽt omnes tribus

bus terræ, S. Matth. cap. 24. n. 30. & erit planctus sicut solet esse luctus primogeniti, Amos cap. 8. n. 10. Dices si visurus est eum omnis oculus, siue homo, cur additur, *& qui eum pupugerunt*, id est crucifixerunt? Hoc fit propter duritiam, & insolentiam eorum Iudæorum, qui Saluatorem crucifixerunt, in eum insultantes, & illudentes, vndè specialiter de eis mentio habenda est. Sed ò miseri, tunc plãgent se super eum, id est propter eum. Hic est ille plãctus, de quo Redemptor noster Luc. cap. 23. n. 28. *Nolite flere super me: sed super filios vestros.* Venturus est in nubibus Matthæi. cap. 24. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube.*

Illa verba, *etiam amen*, indicant magnam lætitiam S. Ioannis in aduentu Saluatoris ad iudicium, sic infra cap. 22. postquam dixerat. n. 12. *ecce venio*, addit, *& sponsus, & sponsa dicunt veni*, sic & in præsenti, dum dicitur ecce venit, repetit, *etiam, amen*, vt sit gemina confirmatio, vna Græca, Hebraica altera, quasi dicat, ita, ita, vel fiat, fiat, vt in Psalm. 88. n. 57. Desiderant sancti tempus iudicij, cũ mortale corpus induet immortalitatem, vt tunc Saluator, qui animas saluas fecit, Luc. cap. 9. corpora glorificet, configurata corpori claritatis suæ, & nota, quod in hoc cap. 1. incipit prophetia ab illis verbis, *ecce venit*, & in cap. fin. terminatur illis verbis, *ecce venio*, nam à capite ad calcem, tota reuelatio est de iudicio vniuersali.

Ego sum alpha, & omega, principium, & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens. N. 8.

Hic versus confirmatio est antecedentium, quasi dicat, quæ dixi de aduentu Christi, vera sunt, quia qui venturus dicitur, est omnipotens; est Deus, Patri, & Spiritui Sancto coæqualis, cuius decretum implendum est, ipse enim est prin-

principium, & finis rerum, ſtabilis, & æternus, qui cœlum, & terram creauit ex nihilo, qui natura ſua fidelis eſt, & verax, ipſe dixit, & facta ſunt, vndè cum ſit Deus, neceſſe eſt, quod impleatur id, quod decreuit de aduentu ſecũdo. Rurſus vt inquit Rupert. cum venerit iudicare Gentes, vociferabitur, & clamabit, & ſuper inimicos ſuos confortabitur, & dicet eis, ego ſum alpha, & omega, quaſi dicat, ò inſenſati, ego ſum homo ſimul, & Deus, principium & finis rerum, qui iudicaturus ſum omnes homines à primo vſque ad vltimum, qui omnia opera ſcrutor à minimis vſque ad magna, à primis ad vltima. Hæc verba *Ego ſum A. & O. principium, & finis*, ad Chriſtum Dominum referenda ſunt, quia cum loquatur de aduentu ad iudicium, *ecce venit cum nubibus*, & addiderit, quod *venturus eſt omnipotens*, neceſſario de Chriſto Domino intelligenda ſunt, de quo continuata ſeriè loquebatur, vide ſupra n. 4.

Chriſtus Dominus, qua Deus eſt, Æternus eſt, ſine principio, & fine Geneſ. cap. 21. n. 33. Exod. cap. 15. n. 18. Iob. cap. 36. n. 26. Eſai. cap. 41. n. 4. & cap. 43. n. 10. & cap. 44 n. 6. & cap. 48. n. 12. & cap. 57. n. 15. Daniel cap. 7. n. 9. Apoſt. ad Rom. cap. 16. n. 26. & ad Hebr. cap. 1. n. 8. & infra hoc cap. 1. n. 17. *noli timere, ego ſum primus, & nouiſſimus*, quæ verba expreſſè probant, quod verſus iſte octauus referendus ſit ad Chriſtum Dominum, nam is eſt, qui apparuit inter candelabra, & inquit, *noli timere ego ſum primus, & nouiſſimus*, & infra cap. 21. n. 6. & præcipuè cap. 22. n. 13. qui locus, & verba toties repetita indicant geminatas eſſe clauſulas in Apocalypſi, vt dicemus infra cap. 10.

N. 9. Ego Iohannes frater veſter, & particeps in tribulatione, & regno, & patiẽtia in Chriſto Ieſu, fui in Inſula, quæ appellatur Patmos, propter Verbum Dei, & teſtimonium Ieſu.

Sequitur

Sequitur tertia pars huius capitis,& poſt ſalutationem, & propoſitionem,ſubſcribit S.Ioannes,& more Græcorũ, locum,& diem addit,demum reſumit narrationem, donec epilogo omnia cõcludat.Obſeruant Rupertus,& Viegas, S.Ioannem ter in hoc capite nomẽ ſuum exprimere, n.2. *ſignificauit ſeruo ſuo Iohanni*.& n.4. *Iohannes ſeptem Eccleſijs*,& in præſenti. *Ego Iohannes*, quod ideò factum contendunt, ne forte de authore, & authoritate operis dubitaretur,ipſorum tamen venia,exiſtimo, hanc nominis repetitionem ex triplici S. Ioannis munere dimanare, eſt enim Apoſtolus, Euãgeliſta,& Propheta. ¶ *Frater veſter*, quia ſicut cæteri deſcendebat ab Adamo. Vel ſe fratrem fidelium dixit propter fidem Chriſti Domini, per quam vnum corpus cum fidelibus factus erat. S. Matth. cap. 23. n. 8. *omnes autem vos fratres eſtis*, vel quia omnes amabat vt fratres. ¶ *Particeps in tribulatione*, ſic interpretor, vt propter tribulationem,quam ſubſtinebat, in qua aſſeclas, & comites habebat fideles,ſub tyranide Domitiani,dixerit,*particeps in tribulatione*, cum autem, ad tribulationem regnum cœleſte cõſequatur. 2.Corinth.1.& 2. ad Timot. cap.2.n.12. & 1.Petr.cap.1.n.11. ideò addidit, *in regno*, ſic infra cap. 7.n.14.*Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione,ideò ſunt ante thronum Dei*, quia autem ad tribulationẽ, neceſſaria eſt patientia, quia nihil prodeſt, tribulationes pati,ſi patientia abſit,ideò concludit,*& particeps in patiẽtia*,id eſt tolerantia perſecutionum, tunc enim fideles tãquam agni ducebantur ad martyrium,donantes inuicem, ſicut Deus in Chriſto donauit illis. *Patmos* eſt inſula in mari Ægeo, quod nunc dicitur Archipelagus. Eſt inſula vicina Rhodo,& in Turcarum hodie ditione, in quã iuſſu Domitiani fuit S.Ioannes relegatus,ex Primaſio,& Victorino, & hoc exilium paſſus eſt propter Verbum Dei, quia prædicabat Euangelium, quod magis in ſequentibus explicat,*& teſtimonium Ieſu*, quaſi dicat *propter Verbum Dei, id eſt teſtimonium Ieſu*,particula enim,*&*,etiam reſoluitur

in

in *id est*. Testimonium Iesu, est prædicatio Diuini Verbi, sic infra cap. 11. n. 7. *& cum finierint testimonium, &c.*

V. 10. Fui in spiritu in Dominica die, & audiui post me vocem magnam tanquam tubæ.

Proponit S. Ioannes in ea Insula in spiritum, & extasim se raptum fuisse, & ne intelligamus somnium fuisse, aut à corpore discessisse spiritum, refert se in ea extasi audiuisse vocem magnam, tanquã tubæ. Hæc vox adeò magna fuit interpretibus huius loci, vt ad eius strepitũ conturbati fuerint. Relictis omnibus, dicendum est, hanc vocem esse formidabilẽ illam iudicij vniuersalis vocẽ S. Matth. cap. 24. n. 31. *Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna*, & Apost. 1. ad Thessal. cap. 4. n. 16. Quare autẽ dixit: *vocem tanquam tubæ*, & nõ vocem tubæ? Ratio quia vox resonauit à tergo, quod enim S. Ioannes nõ videbat, nõ debebat affirmare, perinde ac si vidisset, veritas enim magis occulata fide, quam per aures innotescit. §. *fin. inst. de gradibus cognationum*, est enim S. Ioannes testis fidelis, qui testimoniũ perhibet, de eo quod vidit, vt dixi supra, poterat enim sonitus videri tubæ, & ab alia causa, siue instrumento prouenire, & vox ipsa Angeli in præsenti tubam representabat. Vel dixit, *tanquam tubæ*, quia tempore, quo fiebat reuelatio, vere non erat iudicium, sed representatio quædam præambula extremi iudicij, & quod dicitur, & fit in symbolo, non est propriè tale. Vel dixit, *tanquam tubæ*, vt explicetur vocis magnitudo, tuba enim est symbolum vocis magnæ Esai. cap. 58. *Quasi tuba exalta vocem tuam.* Ex quo infertur, quod in huiusmodi visionibus imaginarijs, sensus literalis non sunt ipsæ imagines, quæ S. Ioanni obijciuntur, sed res quæ per imagines representantur. ¶ *Et audiui post me*: dices cur hæc vox non resonauit à facie, sed à tergo? Hoc fit, vt cognoscamus eius diei extremi incerti-

tudi-

tudinem, quæ nulli reuelata est, ideò dicitur esse à tergo, quia nobis incerta. Ex his iam apparet, quam connexa sit Apocalypsis contextura, & series, nam dixerat, *ecce venit cũ nubibus*, nunc in hoc versu proponit tubam, & vocem magnam, quæ omnes coget ante thronum.

Dicentis quod vides scribe in libro, & mitte septẽ Ecclesijs quæ sunt in Asia, &c. N. 11.

Obstare videtur, quod adhuc nihil viderat, sic videntur abundare verba, *quæ vides*. Respondeo supra responsum, nam in prophetia non curamus de tempore præsenti, vel futuro, propter infalibilitatem diuinæ reuelationis, futura enim possunt dici iam facta. Vel, *quod vides*, id est de proximo visurus es, nam pro facto habetur, quod est faciendum in proximo. *l. pen. ff. de militari testamento.* Quater in hoc opere S. Ioannes scribere iubetur, hic, & infra n. 19. & cap. 14. n. 13. & cap. 19. n. 9.

Et conuersus sum, vt viderem vocem quæ loquebatur mecum, & conuersus vidi septem candelabra aurea. N. 12.

Septem hæc candelabra hoc significant, quod septem Ecclesiæ, vt infra n. 20. *Et candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt.* In his septem Ecclesijs omnis Ecclesia continetur ex Primasio. Haym. Panon. Amb. Amsbert. Ioach. & omnibus. Sicut candelabrum ad lucernæ gestamen habetur, quæ lumine tenebras depellit, & arcet, & oculis intuitum, rebusque colorem reddit, & præstat, sic Ecclesia sustinens lumen fidei, in luce doctrinæ suæ, errorum caliginem dejicit, & compescit, mentis oculos illuminans, proprium virtutibus colorem, & vitijs reddens. Alludit ad locum Zachariæ cap. 4. n. 2. & Isai. cap. 12. n. 6.

Et

N. 13. Et in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis, veſtitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea.

Certum eſt adſtantem inter candelabra eſſe Chriſtum Dominum, vt infra. n.18. *Ego ſum primus, & nouiſſimus, & viuus, & fui mortuus: & ecce ſum viuens in ſecula ſeculorum, & habeo claues mortis, & inferni.* Dubium tamen eſt, apparuit ne Chriſtus Dominus in ſua ſanctiſſima perſona, vel repreſentatus ab Angelo? Ratio dubitandi manat ex illis verbis, *ſimilem filio hominis*, quia Chriſtus dicitur filius hominis, non ſimilis filio hominis, ſimile enim nō eſt idem *l. quod Nerua ff. depoſiti.* Dici ſolet, Chriſtum apparuiſſe Ioanni in ſubiecta Angeli perſona, ſicut olim Deus Abrahæ in Valle Mambre, Geneſ. cap. 18. Putabam poſſe dici, Chriſtū Dominum apparuiſſe Ioanni in ſua ſanctiſſima perſona, idque petit ſtricta amoris fibula, quo diſcipulum diligebat. Dubitatio de ſimili filio hominis, ſic poteſt ſedari, Chriſtus Dominus in præſenti, formam ſupremi iudicis, mundum iudicantis induebat, habens oculos & pedes ignitos, cum gladio vindictæ in ore, erant etiam ſingularia veſtimenta, quibus tegebatur, capilli capitis multum diſtantes ab his, quos Ioannes obſeruarat in Saluatore, dum degebat in mundo, vndè Ioannes timuit, & cecidit ad pedes eius fere exanimis, nec mirum, ſi hæc accidentia Ioannem dubium reddiderint, nec dixerit, eum fuiſſe filium hominis, ſed ſimilem filio hominis, nam & Diſcipuli poſt reſurrectionem, non nouerunt eum niſi in fractione panis.

Ex his apparet, primam viſionem Apocalypſis eſſe repreſentationem quandam iudicij vniuerſalis, idque ſignificauit vox tubæ, quæ præceſſit. n.10. & hæc viſio reſpondet viſioni Danielis cap. 10. n. 5. *Et ecce vir vnus veſtitus lineis,*

lineis, & renes eius accincti auro obrizo: & facies eius velut *ſpecies fulguris, & oculi eius vt lampas ardens, & quæ deor-* *ſum ſunt vſque ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis, & vox* *ſermonum eius vt vox multitudinis*, ſimiliterq; Daniel cecidit ſuper faciem ſuam conſternatus, & terror nimius irruit ſuper eum, vt patet ibi n. 7. & n. 9. & ſicut in præſenti manus Saluatoris tetigit Ioannē, & erexit eum, ita & ibi, vt patet d. cap. 10. n. 10. Viſio autem illa Danielis ad iudicium, & extrema mundi tempora refertur, vt explicat eodem loco n. 14. vndè & hæc præſens ad nouiſſimos mundi dies referenda eſt, cum ſit eadem.

Veſtis poderis erat alba vſque ad talos demiſſa, erat veſtis ſummi Sacerdotis, de ea fit mentio Eccleſ. cap. 27. n. 9. & Sapient, cap. 18. n. 24. ¶ Præcinctus apparuit ad mamillas zona aurea, iuxta conſuetudinem Sacerdotum Eccleſiæ primitiuæ, qui ſe adſtringebant inter vmbilicum, & pectus, paulo infra axillas, ex D. Hieron. epiſt. 128. Zona ſymbolum eſt caſtitatis, quia aſtringit, aurum charitatis, vt infra cap. 3. n. 18. *Emere à me aurum ignitum.* Id eſt charitatem. Vel zona ſignificat iuſtitiam, per aurum veritas deſignatur Iſai. cap. 11. n. 5. *Et erit iuſtitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.* In iudicio omnes iuſtitia, & veritate iudicabuntur, & rectè Rupertus, *Præcinctus eſt ad mamillas zona aurea, per quam deſignatur iudiciaria, & regia poteſtas*, quod comprobari poteſt Pſalmo Dau. *Dominus regnauit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.*

Caput autem eius, & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix, & oculi eius tanquam flamma ignis. N. 14.

Hæc euidentius probant, ſermonē eſſe de Chriſto Domino iudicante mundum vniuerſum, probatur, quia ea-

dem forma Christum vidit Daniel iudicantem omnes gentes cap.7.n.9. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda. Fluuius igneus, rapidusque egrediebatur à facie eius, &c. iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Candor capillorum indicat Saluatoris æternitatem, quam in transfiguratione patefecit in vestimentis, quæ facta sunt alba tanquam nix Matth.cap.17. In præsenti designatur diuinitas Christi in capite, iuxta illud Apostoli 1.Corinth.cap.11.n.3. *Caput autem Christi Deus.* Oculi tanquam flamma ignis designant tremendi iudicis in iudicio vindictam, & quod nemo ab eius ira se possit abscondere Ezech.cap.43.à n.2.Ierem.cap.32.n.19.Sapient. cap.11.n.19.& infra cap.19.n.12.

N. 15. Et pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti, & vox illius tanquam vox aquarum multarum.

Ioannes sublimis aquila ad Christi caput, & diuinitatẽ paulò ante volauit, nunc demissis, depressisque alis, ad pedes, id est humanitatem descendit. Humanitas Christi in pedibus significata, ideò aurichalco similis dicitur, quia comparatione diuinitatis, se habet instar metalli vilioris, diuinitas per aurum designatur, Cantic. cap.5. humanitas per aurichalcum, quia vero in iudicio summam vindictã excercebit, ideò dicitur, aurichalcum futurum in camino ardenti, quia magna in reprobos ira accẽsus Saluator, eos in caminum ignis æterni mittet. Malach. cap.4.n.1. *Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus*, & Esai. cap.31. n.9. Ignis in capite, & in pedibus, signum exhibet secundi aduentus, ex illo Matth. cap.24. n.27. *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem, ita erit aduentus filij hominis.* ¶ In iudicio etiam erit vox Saluatoris aquarũ multa-

multarum, propter inundantes eius diei calamitates. Esdr. lib. 4. cap. 6. n. 17. agens de vltima mundi visitatione, inquit, *Et sonus eius sicut sonus aquarum multarum*, & n. 19. *Quando inquirere incipiam ab eis qui iniuste nocuerunt*, & n. 20. *Libri aperientur ante faciem firmamenti, & omnes videbunt simul.* Et Esai. cap. 28. n. 2. *Ecce validus & fortis Dominus sicut impetus aquarum multarum*, & cap. 17. à n. 12.

Et habebat in dextera sua stellas septem, & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat, & facies eius sicut Sol lucet in virtute sua. N. 16.

In iudicio iusti erunt in dextera iudicãtis, liberi ab omni illius diei miseria, gladius tamen erit aduersus reprobos, eosque mittet in sinistram partem. Stellæ hæ septem, licet designent Episcopos Ecclesiarum Asiæ, vt infra n. 26 tamen in hoc septennario continẽtur omnes iusti. ¶ Episcopi debent esse stellæ, quia tenentur dare lumen in custodijs suis Baruch. cap. 3. & qui erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates. Dan. cap. 12. n. 3. Item omnes iusti sunt stellæ, qui fulgebunt in æternum. Apost. ad Philip. cap. 2. n. 15. *In medio nationis prauæ, & peruersæ lucetis sicut luminaria in mũdo.* ¶ Gladius in præsenti designat gladium vindictæ, vt infra cap. 19. n. 15. *Et de ore eius procedit gladius acutus, vt in ipso percutiat Gentes*, & de hoc gladio extremi iudicij loquitur Ierem. cap. 25. n. 16. & expressius n. 31. Item gladius est schema iudicij, constat Deuteron. cap. 32. nam dixerat Deus, *Si acuero vt fulgur gladium meũ*, & postea explicans gladium, subiungit, *Et arripuerit iudicium manus mea*, est etiam punientis, & gubernantis representatio ex illo Apostoli, *Non sine causa gladium portat.*

Dicitur autem vtraque parte acutus, quia tunc nullus erit veniæ locus, Et quia vtraque acie efficax erit ad mit-

 tendos

tendos reprobos in ignem æternum, & segregãdos iustos, vt eant in vitam æternam, vt sic diuisi, nunquam amplius valeant conuenire, vndè rectè Innoc. III. in cap. postulasti 21. de homicid. gladium, ad bonorum præmium, & punitionem malorum, datum esse constituit, ibi: *Ad bonorum laudem, vindictam vero malorum, gladius est commissus.* Item gladius bis acutus, rectissimi iudicis sententiam commendat, quæ contra iustitiam nulli parcat, quemadmodum accidet in iudicio extremo rectissimi iudicis, & Redemptoris nostri. Præstat hìc sistere eiusdem Innocentij verba in Decretali epist. cap. ex ore 17. de priuileg. *Ex ore sedentis in throno procedit gladius bis acutus: quoniam ex ore Rom. Pontificis, rectissima debet exire sententia, quæ contra iustitiam nulli parcat.* In iudicio enim gladius omni ex parte pũget. O qualis erit reprobis terror gladij huius? nam dicit infra cap. 2. n. 12. *Hæc dicit qui habet romphæam vtraque parte acutam*, quæ verba paulo inferius sic versat, *Et pugnabo cũ illis in gladio oris mei*, & cap. 19. n. 15. *Et de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus, vt in ipso percutiat Gentes, & ipse reget eas in virga ferrea.* Econtrario quale gaudium bonis? quale præmium? quando audient salutarem illam nostri Saluatoris vocem, *Venite benedicti Patris mei.* ¶ *Et facies eius sicut Sol*, id est sicut quãdo Sol fulget in virtute sua, id est in maiori claritate sua, sic erit in iudicio facies Christi Domini, quia fulgentissimus apparebit, & eius facies ipsius Solis splendorem longe superabit. Item facies sicut Sol, iracundiam, & indignationem significat, vt notat Viegas in præsenti, & ex illo Dauid. *Dominus regnauit, decorem indutus est, &c.*

In num. 17. inquit S. Ioannes se quasi exanimatum ad pedes supremi iudicis cecidisse, idem cõtigit Danieli cap. 10. n. 9. si enim gloria, & pulchritudo Domini Apostolos deturbauit in transfiguratione Matth. cap. 17. n. 6. & similitudo gloriæ eius Ezechielem postrauit cap. 2. n. 1. qualis erit aduentus Saluatoris, quando simul refulgebit, vt Sol,

& rugiet tanquam fortissimus leo? Plane cõturbabitur ibi omnis fortis. Tandem Christus Dominus occurrens, in manu dextera Ioannẽ reuocat, & erigit. In dextera, vt dixi, erunt omnes sancti, & iusti, omnes stellæ. ¶ Verba illa, *Habeo claues mortis, & inferni*, ipsa per se nota sunt, & satis indicant potestatem Christi Domini, præcipuè in die iudicij.

CAPVT SECVNDVM APOCALYPSIS.

CONTINVATIO.

MIra sunt quæ multi comminiscuntur de huius capitis cõtinuatione cũ superiori, sed ex dictis facilis est transitus, nam cum prima visio sit de Christo Dño iudicante, consequenter prioribus, hos Episcopos, & illorũ opera iudicat, & omnes iubet vigilare in extremi iudicij memoria, & cũ vẽturus sit reddere vnicuique secundum opera sua, vt infra cap. 22. n. 12. ideò in præsenti opera Episcoporum metitur, & secundum ea iudicat, præcipuè cum iudicium incipiat à domo Dei 1. Petr. cap. 4. n. 17. Et sanè in his epistolis, derelictam dilectionem Ephesiis imputat, stultum idolothytorum esum Thyatirenis exprobat, Sardos non plenorum operum incusat, Pergamenos peruersa docentes reprehendit, Laodicenses diuitijs fidentes obiurgat, & tamen omnes ad pœnitentiam commonet, sub comminationibus quidem; & sanè non comminaretur impœnitentibus, si non ignosceret pœnitentibus.

TEXTVS.

Et Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe, &c. N. 1.

EPiscopi Angeli nuncupantur propter puritatem S. Matth. cap. 22. *Erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* & 1. ad Cor.

Corint. cap.11. *Ideò debet mulier velamen habere super caput suum propter Angelos.* Dicuntur etiam Angeli, quia debent vigilare Esai.cap.18. *Ite Angeli veloces.* Item propter scientiam, & doctrinam dicuntur Angeli, Malach.cap.2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, quia Angelus Domini exercituum est,* id est nuncius, vt in cap. sit rector 43. dist. Habēt etiam hoc nomen, quia sunt mediatores inter Deum, & homines Esai.cap.33. *Angeli pacis amare flebunt,* sic eos appellat Apostolus. 1.ad Timoth. cap. 3. *Apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus.*

Verba Saluatoris ad hunc Episcopum Ephesinum, sic se habent: *Scio opera tua,* quia cum sit Deus, scrutatur corda, est omniscius, & cuncta sciēs. ¶ *Et laborem,* id est, scio etiam laborem, quem sustines in administratione officij tibi commissi. ¶ *Et patientiam,* qua degis in procella persecutionis, iuxta illud Apost. 1.Corinth.cap.4. *Persecutionē patimur, & sustinemus.* ¶ *Et quia non potes sustinere malos.* id est, scio etiam, quod zelo sanctitatis non dissimulaueris cum peccatoribus. ¶ *Et tentasti eos qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & inueneristi eos mendaces.* Ex his verbis colligitur, non satis esse Episcopo, non sustinere aperte malos, sed præterea debere simulatam sanctitatem detegere, quia malitia, quo occultior, eo periculosior. ¶ *Et patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defeciſti.* Scio etiam, quod habueris patientiam tollerandæ persecutionis tyrannorum, neque defeceris à lege mea, hæc omnia scio, laude digna.

Sed habeo aduersus te paaca, qualia hæc sint, non aperit, nec patefacit negligentiam, de qua hunc Episcopum arguit. In hoc consentiunt interpretes, fuisse negligentiam circa prædicationem, & instructionem populi. Sed maxime obstant illa verba, *Scio laborem,* qui labor referendus est ad officij administrationem. Credo tamen hunc Episcopum argui de negligentia in charitate subditorum, quod postea explicat, *Quod charitatem tuam primam reliquisti,*

quisti. non quod omnino charitatem reliquerit, sed quod reliquisset charitatem primam, charitatem pristinã, qua oues suas, initio Episcopatus curabat. Multi initio feruẽtes sunt, sed processu temporis tepescunt. ¶ *Memor esto vndè excideris*, id est quid perditũ, quid relaxatum sit de prima charitate, quid de ea fuerit delibatum. ¶ *Age pœnitentiam, & prima opera fac*, id est depone negligentiam, & redi ad primam charitatem, ad dies, & menses pristinos, vt olim desiderabat Iob. cap. 29. ¶ *Sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo*, id est, si non ridieris ad primã charitatem, mouebo Ecclesiam tuam (significata fuit supra per candelabrum) de loco suo, id est, de te, nam Prælatus est velut locus Ecclesiæ, in quo debent oues quiescere; & in ea Ecclesia alium sufficiam Pastorem. Vel verius *Mouebo Ecclesiam tuam*, id est subditos, Ecclesiam formaliter, *de loco suo*, id est de fundamento suo, hoc est, de te, qui es fundamẽtum tuæ Ecclesiæ, & te relicto, collocabo subditos in alterius fundamento.

Sed hoc habes quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. Nicolaitæ hæretici fuerunt, à Nicolao dicti. Hic fuit vnus ex septem Diaconis, quos sancti elegerunt Apostoli, vt constat ex Act. Apost. Hic in turpissimas lapsus est hæreses, ita Ireneus lib. aduersus hæres. cap. 27. docebat licitũ esse mæchari, & necessarium esse ad salutem, libidini operam dare, negabat Christi Domini diuinitatem, & dicebat omnia esse communia, diuitias, & vxores, hæc, & alia referunt Irenæus vbi supra, & lib. 3. contra hær. cap. 11. D. Ignat. epist. 9. Theodoretus lib. 3. de fabul. hæret. Quibus positis, sensus verborum est, licet charitatem primam aliquantulum relaxaueris, odisti tamen facta Nicolaitarum, id est, peccata omnia, quæ licita erant in doctrina peruersi Nicolai. ¶ *Qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat Ecclesijs*. Hæc verba sunt Christi in Euangelio. *Qui habet aures audiendi, audiat* S. Luc. cap. 8. id est, qui habet aures exteriores, audiat mente interius, nam audire, non tãtum est,

sensu

sensu aliquid percipere, sed etiam opere complere, S. Iacob. cap. 1. n. 22. non solum audiat, sed seruet, & obseruet id, quod Spiritus Sanctus dicit Ecclesijs. ¶ *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Vincēti peccata mortalia, carnis scilicet oblectamenta, mundi blandimenta, & dæmonis tentamenta, dabo vitam æternam, quæ significatur per lignum vitæ, iuxta illud Cantic. cap. 4. n. 13. *Emissiones tuæ, Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.*

N. 8. Et Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe. Hæc dicit primus, & nouissimus qui fuit mortuus, & viuit, scio tribulationem tuam.

Huiusmodi præambulo animatur hic Episcopus ad labores perferendos, quos synagoga Satanæ in sua diœcesi seminauerat, quasi dicat, ne timeas labores, nec mortem, ex illis multoties illatam, nam ego fui mortuus per ipsos Iudæos, & viuo in secula seculorum, & habeo potestatem suscitandi te in nouissimo die. ¶ *Scio tribulationem tuam,* id est, quod multa pateris propter me, & Ecclesiam tibi commissam. ¶ *Et paupertatem tuam,* id est, scio etiā paupertatem tuam, siue penuriam, qua premeris ex defectu temporalium, humanorumque præsidiorum. Tunc enim Episcopi magna egestate laborabant, præcipuè inter illos Iudæos, sed Episcopus iste temporali tantum paupertate vexabatur, non spirituali, quia abundabat spiritu, cæterisq; virtutibus, & ideò addit, *sed dives es*, quia affatim dives est, qui cū Christo pauper est. ¶ *Et blasphemaris ab his qui se dicunt Iudæos esse, & nō sunt, sed sunt synagoga Satanæ.* Id est, etiam scio quod blasphemaris, & iniuria afficeris à falsis Iudæis, qui Iudæorum falsum nomen vsurpant, cum sint synagoga Satanæ, quia si essent veri Iudæi, debebant recipere Christum Dominū, Messiam Patribus suis Abraham,

ham, Isaac, & Iacob promissum; vndè hi, quos vocamus Iudæos, indigni sunt, quòd tales nominẽtur, cum sint synagoga Satanæ, & ipsi mentiuntur, cum se dicunt Iudæos. ¶ *Nihil horum timeas quæ passurus es: ecce missurus est Diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini, & habeatis tribulationem diebus decem.* Hæc vt sonant interpretanda sunt. Hanc persecutionem aduersus Christianos Smyrnẽsis Ecclesiæ sub Trajano diabolus excitauit, Iudæorum deprecatione. Nota quod tribulatio tentat, & probat iustos, vt patet ex litera. ¶ *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Repete, ne timeas, esto fidelis, nec acquiescas diaboli proximæ tentationi; *& dabo tibi coronam vitæ*; quia qui certat vsque in finem, is coronabitur in regno cœlorum, vt dicit Apostolus; & bonam partem habebit in iudicio, nec lædetur à morte secunda, vt infra cap. 20.

Et Angelo Pergami Ecclesiæ scribe. Hæc dicit qui habet romphæa vtraq; parte acutam, scio vbi habitas vbi sedes est Satanæ. N. 12.

Illa verba: *Hæc dicit qui habet romphæam, &c.* significat iudiciariam, & vniuersalem Christi Domini potestatem, qua in iudicio, bonis præmia, supplicia improbis distribuet. Sic enim scribit Pergameno Episcopo: *Scio vbi habitas*, id est scio malitiam eorum, inter quos versaris, scio tales esse habitatores, vt dici debeant *sedes Satanæ*, quia diabolus in ipsis habitat, super ipsos sedet, & tamen pie, & sancte conuersaris inter reprobos, id significant illa verba, *Et tenes nomen meum, & nõ negasti fidem meã.* Nomen meũ, id est nomen Christi, Apostolus, *Nos prædicamus Christum*, & supra cap. 1. n. 9. ¶ Prosequitur, *Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis qui occisus est apud vos*, quæ oratio videtur manca, & mutila, sed referenda est ad proximiora,

quasi dicat, Antipas in ea sede Satanæ etiam tenuit nomẽ meum, & non negauit fidem meam, ad similitudinem huius martyris eiusdem loci, esto fidelis; nam Antipas inter illos reprobos fidelis fuit, qui in boue æneo tostus & incẽsus perijt, vt refert Viegas in præsenti. Omnes martyres dicuntur testes fideles, vt infra cap. 11. n. 3. vbi dicam, & in Græco pro teste est martyr.

Sed habeo aduersus te pauca (incipit increpare) *quod habes illic tenentes doctrinã Balaã qui docebat Balac mittere scãdalũ coram filijs Israel, edere, & fornicari; ita habes & tu tenentes doctrinã Nicolaitarũ.* Reprehenditur Episcopus, quod libidinosos, & idolatras non relegauerit ab Episcopatu, & quod retinuerit Nicolaitas, qui ad similitudinem Balaã, docebant licitam esse fornicationem. Nicolaitæ tenebant doctrinam Balaam. Hic ariolus tale consilium dedit Balac Regi Moabitarum, dum ipse Rex Israelitarum arma formidaret. Scias, dixit Regi, Iudæos vinci non posse, nisi à Deo propter peccata ipsorum deserantur. Mitte ergo pulchras fœminas, quæ ad libidinem eos alliciant, & dum capti fuerint illarum amore, minime eos admittant, nisi mandũcauerint de idolothytis, & adorauerint idola. Adeò efficax fuit Balaam consilium, vt Iudæi hæc omnia patrauerint, fruendarum fœminarũ studio, vt habetur numer. cap. 25. & cap. 31. *Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, & præuaricari eos fecerunt,* & Michææ cap. 6. n. 5. *Populo meus memento quæso quid cogitauerit Balach rex Moab, & quid responderit ei Balaam.* Concilium ergo Balaam, & doctrinam circa fornicationem, & idololatriam sequebantur Nicolaitæ, & ideo increpat Dominus hunc Episcopum, quod sustinuerit Nicolaitas habentes, & sequentes doctrinam Balaam, vndè inquit, *Pœnitentiam age*, id est non permittas amplius Nicolaitas, eos extermina. *Alioquin veniam cito, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.*

Concludit epistolam: *Vincenti dabo manna absconditum,*

& dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Per hoc manna ostenditur dulcedo vitæ, & gloriæ in fruitione æterna: Dauid Psalm. 30.28. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine.* Dicitur hoc manna absconditum, exemplo thesauri pretiosissimi, & reconditi; vel quia est thesaurus nobis viuentibus nec datus, nec visus. ¶ Calculus candidus est sententia fauorabilis, quod, vt intelligatur, sciẽdum est, calculum esse breuem lapidem. Olim apud Græcos calculis suffragia præstabantur, candidi absolutionẽ, nigri damnationẽ significabant, vndè apud Calepinum calculus pro sententia, & iudicio. Dare igitur calculum candidũ in præsenti, hoc est, dare fauorabilem sententiam in iudicio circa ipsam gloriæ possessionem, vt infra. 16.6. *Vestiti lapide mundo & candido.* Hæc possessio propter stabilitatem æternitatis cõparatur calculo, infra. 3.12. Dicitur candidus propter puritatem. cap. 15.6. *Mundo & candido.* & cap. 7.

Et in calculo, id est, in veste illa gloriæ, scriptũ, siue signatum, *nomen nouum*, id est, nomen Iesu, quod in Circuncisione nouiter impositum est, S. Tho. 3.p.q.37.art.2. Cornel. in præsenti. Est autem hoc nomen IESVS, nomen illud TETRAGRAMMATON, quod quatuor mysticis literis apud Iudæos scribitur, *Yoth. he. vau. he.* Quæ voces suis pũctis compositæ YOHESVA efficiunt, & quòd Latinè dicimus IESVS, Hebræi explicãt per ADONAI, quòd est ipse Deus Saluator, ita vt coacto sensu cum Hebræis pulchra quadã vocis harmonia consonemus: vt quòd ipsi per TETRAGRAMMATON, obscuro satis sensu & vix intelligibili, explicant, præclarius nos velut iam facie reuelata, intelligamus pro IESV, ex illis quatuor literis vocabulum componentes, quibus DEI nomen exprimitur, & quo DEVS PATER declarauit se mundo. Sanè hoc nomen IESVS nõ fuit mundo cognitum, vsque dum veniret CHRISTVS, neque est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, Actor. 4. Hoc nomen induent omnes Beati. Esai. 62.2. Apoc. 22.4.

Quod nemo scit nisi qui accipit, nomen sacratissimum IESV, nemo scit, quale, quantũ vè sit nisi qui accipit in vnione perfecta, & sané quanti sit, immortalitatis coronam in hoc nomine reportare, & stolã gloriæ obtinere, hoc nullus, nisi qui accipit, intelligit, nemo, nisi qui sponsa est, accipit, nam nemo in hac mortali vita potest cognoscere, quanta præparauerit Dominus habentibus nomen suum, cum eos introduxerit in thronum suum. Nomen IESV, & eius essentiam nemo nouit nisi Deus, vt infra. 19.12. *Habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse*, sed hoc quantũ ad substantiam, quoad effectus autem, hi qui Christo incorporantur, suauitatem dulcissimi nominis IESV participant, vndè Matth. 11.27. *Nemo nouit Filium nisi Pater, neq; Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*, nemo enim noscit, nisi qui accipit à Deo, neque alius cognoscit Diuinum Pastorem IESV, nisi oues eius, iuxta illud: *Cognoscunt me meæ.*

Item hæc omnia mystice conueniunt sacratissimo, & Augusto Eucharistiæ Sacramento, vbi Christi mellifluus amor, tanquam manna absconditum animæ communicatur, & tanquam calculus candidus cordi incorporatur. Hic calculus est lapis ille paruus qui abscissus est de monte, & percussit statuam auri, argenti, æris, & ferri, & contriuit eã. Dan. 2.34, nam in virtute huius sacramenti, omnis humana pompa, & omnia vitia depereunt, reproborumque Ciuitates & regna prostrantur, & euertuntur. Fœlix Hispania nostra, fœlices vtique nostri Reges Austriaci, qui tanta cura, & molimine, huius Augustissimi Sacramenti festiuitates commendant, & fouent, propter quod exaltabit eos Dominus, summa, vt spero, gloria potituros. Dicitur etiã hoc sacramentum calculus, quia in eo est omnis plenitudo roboris ad virtutes firmandas, depellendaque vitia, sed tamen in eo est *nomen nouum*, quia participantes debent omnia vetera reprobare, renouantes semetipsos in omnibus & per omnia. Est candidus, quia pascitur inter lilia,

nec

nec immundis communicatur. Huius calculi nomen nemo nouit, nisi qui accipit, nam qui non frequentant hoc Sacramentum, aut indigne recipiunt, minime participant eius dulcedinem.

Et Angelo Thyatiræ Ecclesiæ. Scribe, &c. N. 18.

Quæ restant ex hoc capite, pleraq; explicatu non egēt. Difficiliora explanabo, & primo circa illa verba *quia permittis mulierem Iezabel* dubitāt interpretes, num in ea diœcesi fuisset aliqua mulier huius nominis, quæ peccata illa committeret, quorum mentio fit in textu; vel sermo sit de aliqua Iezabel mystica, quæ ad similitudinem Iezabel vxoris Regis Acab. de qua lib. 3. Reg. cap. 19. & 20. fornicationem, & idololatriam foueret? Credo quod non ponatur pro persona ficta, sed pro vera meretrice Thyatiræ, ex Beda, Rupert. & Primas. ¶ *Permittis mulierem Iezabel quæ se dicit prophetem, docere, & seducere seruos meos fornicari, & manducare de idolothytis.* Verba illa: *Quæ se dicit prophetem*: duplici commate, vel parenthesi includantur, vt sensus sit. Cur permittis hanc mulierem docere, & seducere seruos meos fornicari, hanc scilicet mulierem quæ se dicit prophetem, quod ideo facit, & se fingit prophetem, vt valeat seducere seruos meos, publicans se esse prophetem Dei, vt sic à seruis meis admittatur.

Ecce mittam eam in lectum, hoc vel potest accipi pro infirmitate corporali huius meretricis, vel pro infirmitate æterna, & morte secunda. Corporalis infirmitas meritricibus maxime luctuosa, ardent in lecto dum libidini non vacant, ibi tabescunt, & fætent, dum corrupta venere absumuntur, Iob. 33. *Increpat quoque per dolorem in lecto, & omnia ossa eius marcescere facit.* Apud Ansbertum in præsenti, pro lecto luctus est; & fanè, si elementa ipsa, & affinitatem verborum spectemus, magna est lecti, & luctus cohærentia, magna quoque si rem ipsam consideremus,

nam

nam impiorum delitiæ, & meretricum voluptates in lectum, & miserias desinunt, in luctum, & tristitias. Sed verius est, lectum in præsenti poni pro inferno, Iob. 11. *In tenebris straui lectulum meum*, Reg. 4. 1. Amos 3. 12. ¶ *Et filios eius interficiam in mortem.* Filios, id est, imitatores, lactè suo nutritos. *Interficiam in mortem*, id est, duplici morte, tẽporali & æterna. Nota quam periculosa sit mora in pœnitentia, nam dixerat, *& dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret, & non vult*, demum addit: *Interficiam in mortem.* Ægrotus qui non vult sanari, quid mirum pereat. ¶ *Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes, & corda.* Hæc verba interpretibus fuere multum operosa. Existimo hanc meretricem ficta sanctitate hæc vitia excercuisse, & libidini vacasse, nam, vt dixi, prophetiæ spiritum falso sibi arrogabat, ideò dicit, Deum esse cordis scrutatorem.

Vobis autem dico, & cæteris, qui Thyatiræ estis, quicumque non habent doctrinam hanc & qui non cognouerunt altitudinem Satanæ, quemadmodum dicunt: non mittã super vos aliud pondus, tantum id quod habetis tenete donec veniam. Verba sanè difficultate plena, quæ multi omittunt, & alij frigide interpretantur sine vlla cohærentia antecedentium. Credo tamen, quod hæc meretrix simul foueret fornicationem spiritualem in cultu, & reuerentia Satanæ, propter id quod dicitur in textu, *Docere & seducere seruos meos fornicari, & manducare de idolothytis*, & fornicationem corporalem, ac tandem, quod veteris legis Iudaicæ cæremonias retineret.

Quibus positis, inquit, si non sequamini doctrinam hãc, id est, doctrinam Iezabel, si ad imitationem eius, non cognoueritis altitudinem Satanæ, id est si non putaueritis, Satanam Deum esse, *quem admodum dicunt*, imperiti filij, & imitatores Iezabel, *Non mittam super vos aliud pondus, tantum id quod habetis tenete donec veniam*, quibus verbis excludit veteris legis cæremonias, quas docebat Iezabel, erant enim onerosæ, vt constat Actor. cap. 15. n. 28. *Visum*

est

est enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris quam hæc necessaria: vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum: & sanguine, & suffocato, & fornicatione. Sis-te; & respice, quantum omnia concordent, nam in d. cap. 15. iubemur abstinere ab idolothytis, & fornicatione, in quibus consistebat doctrina Iezabel, & tamen in his affirmant sancti Apostoli esse pōdus, quia via peccatorum, licet eis videatur floribus, & rosis abundare, spinosa est, miscet namque Satanas cum voluptate venenum, & amoris poculum propinat insensatis amatoribus, nec vident plenum esse immunditijs. In summa, onus in præsenti, est obseruatio legalium, de qua dicebat S. Petrus: *Quid tentatis imponere iugum crucibus discipulorum*, quasi dicat, sufficit suaue iugum, quod nunc portant, ne addatis aliud ex veteri fermento, nam & Dominus in præsenti dicit: *Tantum id quod habetis, tenete.* Addit tamen: *Donec veniam*, & rectè, nam post iudicium, nullum iugum erit Beatis, omnis pœnitentia, & corporis afflictio in illo statu cessabit, vt infra cap. 7: in fine. Secundo possunt hæc verba ita explicari: *Non mittam super vos aliud pondus*, id est, non implicabo vos nouis tribulationibus, *sed onus, quod habetis, tenete*, alludit ad verba Apostoli ad Galat. 6. *Vnusquisque onus suum portet.*

Nota quod altitudo Satanæ in præsenti ponitur pro ficta & præsumpta Luciferi diuinitate, qui tumens in se ipso dicebat, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo, Esai. 14. 14. Hanc altitudinem filij Dei fugiunt, se in semet ipsis deprimentes, formam Christi Domini imitantes, qui cum vere Deus esset, in trabea mortalitatis nostræ humiliter segessit. Item nota phrasim sacræ Scripturæ *quemadmodum dicunt*, nam cum dixisset, *altitudinem Satanæ*, addidit, *quem admodum dicunt*, id est, non dico altitudinē Satanæ, quód in veritate sit, sed quemadmodum stulti dicunt, quemadmodum ab imperitis nuncupatur.

Dabo

Dabo illi potestatem super Gentes. Hæc potestas est quam sancti Victores, & Dei mandata custodientes excercebũt in die iudicij aduersus reprobos, iudicantes eos in æternũ cruciatum. ¶ *Et reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur*, quæ verba concordant cum Psalm. 2. *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos*, & Malach. 4.3. & sanè sicut vas figuli semel contritum non reparatur, ita reprobi sine spe reparationis ibunt in æternum cruciatum. ¶ *Et dabo illi stellam matutinam*: id est, lumen gloriæ, quod est in Agno, infra. 21.23. *Et lucerna eius est Agnus.* Christus Dominus est stella hæc, infra 22:16. *Ego stella splendida & matutina.* Hanc gloriam, & lumen accepit à Patre, ex illo loco, *vidimus gloriam eius*, ideò in præsenti addidit, *sicut accepi ego à Patre meo.*

CAPVT TERTIVM.

CONTINAVTIO.

EPiscoporum correctionem, & visitationem, quam superiori capite inchoauerat, nunc in hoc capite prosequitur. vndè non erit necessarium, nouo argumento, & continuatione vti. Vide scripta initio capitis secundi.

TEXTVS.

N. 1. Et Angelo Ecclesiæ Sardis, scribe, Hæc dicit qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas. Scio opera tua, quia nomen habes quòd viuas, & mortuus es.

INcussatur in primis Episcopus Sardensis fictæ sanctitatis, nam mortuus erat, quoad virtutes, & sanctitatis nomen comparauerat apud plebem, id enim meo videri so-

nant

nant illa verba, *Nomen habes quod viuas, & mortuus es.* ¶ *Esto vigilans & confirma cætera quæ moritura erant*, id est, esto vigilans vt recuperes virtutes iam mortuas; & cõfirma, id est, curam habe, ne cæteræ virtutes moriantur, nã si non curamus, vt id, quod iam mortuum est, reuiuiscat, periculum est, vt extinguatur id, quod quasi adhuc viuum retinetur. ¶ *Non enim inuenio opera tua plena corã Deo meo*, id est, non sunt opera tua integra coram Deo, quamuis plena videantur hominibus. Lucæ. 11. *Vos Phariſæi quod de foris est, mundatis, quod intus est plenum est rapina.* 1 Corinth. 10. 18. ¶ *In mente habe qualiter à Deo acceperis*, per inspirationem, *& audieris*, per prædicationem, *& serua*, per operationem, *& pœnitentiam age*, per contritionem, & satisfactionem. ¶ *Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te*, sic infra cap. 16. n. 15. *Ecce venio sicut fur*, & 1. ad Thesal. 5. n. 2. Matth. 24. 43. S. Petr. epist. 2. cap. 3. n. 10. *Aduenict autem dies Domini, vt fur.* Fur clam, & occulte venit. l. 1. ff. de furt.

Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Non solum insimulatur Sardẽsis Episcopus fictæ sanctitatis, sed etiam arguitur socordiæ, quia non habebat multos iustos in Sardis: per *nomina* iusti designantur, nam Dominus dicit in Euangelio, *proprias oues vocat nominatim* & Moysi perfecto viro dicitur: *Noui te ex nomine*, Exod. 33. & sanctorũ nomina scripta sunt in cœlis, sic supra cap. 2. *Et in calculo nomen*, Reproborum nomina nõ sunt in numero, vt infra cap. 22. *Foris canes.* Considera quale sit onus Episcopalis dignitatis, quando paucitas iustorum, culpæ tribuitur Prælatorum, vndè huic Episcopo dicitur, *habes pauca nomina*, paucos iustos, si enim muneri suo satisfaceret, multos haberet, nam Prælati charitas, diligentia, doctrina, & sanctitas oues inflammat in perfecta charitate, vndè dicebat Regius Vates. *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur*, perfecta enim doctrina impios

vincit,& corrigit. ¶ Rursus dicit, quod iusti *non inquinauerunt vestimenta sua*; id est, corpora, & animas, vt infra cap. 16. n. 15. *Beatus qui custodit vestimenta sua*; ideò ambulabunt cum Christo in albis, id est, in vestimentis immortalitatis. Cætera plana sunt, præter illa, *non delebo nomen eius de libro vitæ*, quæ versu sequenti explicantur.

N. 7. Et Angelo Philadelphiæ scribe. Hæc dicit sanctus, & verus qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit.

Per hanc clauem Dauid intelligitur potestas Regia, quam Dominus præcipuè aduersus Gentes excercebit in die iudicij. ¶ *Scio*, inquit Dominus, *opera tua*, bona & perfecta coram Deo, quia morum sanctitate splendes, & vitæ commendatione coruscas. ¶ *Ecce dedi coram te ostium apertum*, id est, cognitionem, & intelligentiam mysteriorum, 1. Corinth. 16. *Ostium mihi apertum est magnum, & euidens*, & 2. Corinth. 2. *Et ostium mihi apertum esset in Domino*. ¶ *Quod nemo potest claudere*, Quoties intelligentia, & cognitio descendit à Deo, non potest humana sapientia perturbari, nec diabolica suggestione infringi. Dedi autē tibi hanc cognitionem, *quia modicam habes virtutem*, id est superbiam, & arrogantiam, vt cum dicitur: *Non saluatur Gigas in multa virtute*, id est, potentia & superbia corporis. Quod autem *virtus* in præsenti ponatur pro superbia, constat ex sequentibus, *& seruasti nomen meum*. Vel *quia modicam habes virtutem*, id est, quia tenes fidem in humilitate sensus tui, vt non superbe sentias, nec te supra alios euehas. Magna quippe commēdatio virtutis est, si in multa sanctitate regnet humilitas, Seraphicus Franciscus se omnium minimum, & maximum peccatorem prædicabat, magna vtique humilitatis prærogatiua, quia mysteria

ria humilibus reuelantur. ¶ Illa verba: *Ecce dabo de synagoga Satanæ, &c.* ad diem iudicij referenda sunt, vbi sancti regnabunt super Gentes, & regent eas in virga ferrea, vt sup. cap. 2. n. 26. & cap. 5. n. 10.

Quæ sequuntur, difficiliora sunt: *Ecce venio, tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*, nam prædestinatio est certa, & infallibilis, nec Dei decretum circa prædestinationem potest frustrari, ergo non poterat hic Episcopus amittere coronam prædestinationis, quæ difficultas etiam consurgit aduersus illa verba supra, *delebo nomen eius de libro vitæ*. Sed respondet Viegas in præsenti, comment. 2. sect. 4. n4. per hæc verba. *Cui dubitioni respondendum putauit D. Thom. 1. p. q. 23. art. 6. Coronam dici alicuius dupliciter, vno modo ex prædestinatione diuina, quo pacto nullus coronã suam amittit, alio modo ex merito gratiæ, & hanc coronam potest per lethale peccatum amittere, & alius illam amissam accipere iuxta illud Iob. cap. 33. Conteret multos, & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis. Itaque D. Thom. coronam hãc non ad prædestinationem ipsam, sed ad præsentem iustitiam pertinere existimat*, quam responsionem latius explicat idẽ Viegas ibidem. ¶ Item ex verbis huius textus colligunt Doctores certum esse electorum numerum, quod mihi manifestum videtur, nam si alius non est accepturus coronam, nisi iste perdiderit, ergo certus est electorum numerus.

Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius, & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen Ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalem, &c. & nomen meũ nouum. N. 12.

Sancti instar fulgentissimarum columnarum Ecclesiã Triumphantem decorabunt, vt dicemus infra cap. 22. *Et*

foras non egredietur amplius, quia iam acceperunt stolam immortalitatis, & coronam æternæ possessionis, S. Ioan. cap. 16. 22. *Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Esai. 33. 29. *Respice Sion ciuitatem solemnitatis nostræ, &c. tabernaculum quod nequaquam transferri poterit; nec auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur.* Tria hæc nomina quibus signandi sunt sancti. Primum est nomen Dei. Secundum nomen Agni, nomẽ IESV quod est nomen nouum. Tertium nomen cœlestis ciuis, vt infra cap. 14. n. 1. *Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus*, & cap. 22. n. 3. & cap. 7. n. 3. Nomen etiam cœlestis ciuis super eos scribetur, ideò sancti vocuntur cœlestis Ierusalem infra cap. 21. n. 2.

N. 14. Et Angelo Laodiceæ Ecclesiæ scribe. Scio opera tua, quia neque frigidus es neque calidus, &c.

Calidus est qui bona studia, & desideria arripit, & consummat, frigidus qui nec inchoat consummanda, tepidus qui inchoat sed non consummat. Sed dices cum frigidus magis distet à calido, quam tepidus, cur expetit Dominus noster, vt hic Episcopus sit potius frigidus quam tepidus? Respondet S. Gregor. quod frigus ante teporem sub spe est, sed tepor post frigus in desperatione, nam qui post conuersionem tepescit, substrahit omnino spem, vndè periculum magis timetur in tepido, quam in frigido Ierem. 48. 30. *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Optat Dominus hunc Episcopum, vel omnino esse frigidum, vt ita tædio prauæ vitæ afficiatur, & ita confundatur, & incitetur ad pœnitentiam; vel omnino esse calidum in charitate & amore, vt ipsi Deo placeat, sed quia tepidus erat, ideò tanquam cibus crudus & mali saporis ex ore euomi debebat,

debebat, & vtitur pulchra similitudine, ibi: *Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo*, nam sicut aqua tepida nauseam ciet, & ad vomitum concitat, eodem modo tepiditas hominis Christum prouocat ad depellendum eum de familiaritate sua; & sicut crudus cibus euomi solet ex defectu caloris, ita & tepidus ex defectu amoris & charitatis, neque tepidum deglutit Dominus, sed in ore tanquam displicentem cibum, & à quo stomachus abhorret, retinet.

Quia dicis, quod diues sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. N. 17.

Diuitem se asserebat hic Episcopus, & perperam, nam pauper, cæcus, & nudus arguitur. Pauper quia virtutum diuitias non habebat. Cæcus quia nec videbat paupertatem, qua laborabat. Nudus quia primam stolam amisserat, omnium autem peius erat, inquit S. Gregorius, quod nec se perdidisse hæc omnia præsumebat. Item miser erat, & miserabilis miseria culpæ, & abundantia peccatorũ. Prouerb. cap. 9. *Miseros populos facit peccatum*. Prosequitur Dominus, & post increpationem suadet Episco, *Suadeo*, inquit, *tibi emere à me aurum ignitum probatũ, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos vt videas*, Arguerat Episcopum paupertatis, cæcitatis, & nuditatis. His tribus remedia præstat. Paupertati aurum ignitum. Cæcitati collyrium. Nuditati alba vestimenta. ¶ Aurum ignitum in præsenti, est charitas perfecta, feruore ignita, & tribulatione probata. Per aurum & ignem charitas significatur. Lucæ 12. *Ignem veni mittere*. ¶ Alba vestimenta sunt vestimenta gratiæ, per quam datur stola prima, de qua Lucæ.

15.22. *Proferte cito ſtolam primam, & induite illum, & date anulum in manu eius.* Poſſunt etiam intelligi hæc veſtimẽta pro veſtimentis gloriæ, in quibus datur ſtola ſecunda. Eccleſ.2. *Impleuit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ, & intellectus, & ſtola gloria induit eum.* Hæc ſtola gloriæ eſt etiam duplex, vna reſpectu animæ, reſpectu corporis altera, Eſai. 40.2. *Suſcepit de manu Domini duplicia*, nam ſancti in iudicio binas ſtolas habebunt, nam cum animarum perfecto gaudio, corporum incorruptione veſtiẽtur. Collyrium eſt obſeruatio diuinorum mandatorum: Pſalm.18. *Præceptũ Domini lucidum illuminans oculos*; & Pſal.118. *Tunc non confundar, cum perſpexero in omnibus mandatis tuis*; & Deuter. 6.8. Tunc enim collyrio oculos inungimus, cum ad vidẽdam Dei legem, noſtros intellectus aliquo mediçamine bonæ operationis adiuuamus,

Proſequitur: *Ego quos amo, arguo & caſtigo. Æmulare ergo & pœnitentiam age. Ecce ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuiret ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Magna ſanè Dei charitas, nam flagella, quæ irrogantur peccatoribus, quamuis de indignationis fonte emanare credantur, prodeunt tamen de radice charitatis, & ideò dicit huic Epiſcopo, *Ego quos amo, arguo & caſtigo.* Arguit Dominus verbis, & cõminationibus. Caſtigat etiã flagris & aduerſis Iob.5. *Beatus homo, qui corripitur à Deo.* Prouerb.3. *Quem diligit Dominus, corripit.* Hæc doctrina prædicatoribus, & confeſſarijs eſt ſummè neceſſaria, nec debent peccatores obſequijs mendacibus fallere, ſed remedijs ſalutaribus prouidere. Imperitus eſt medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, aperiendum eſt vulnus, & ſecandum, licet clamet infirmus, & conqueratur, tunc enim ſanitate reſtituta gratias aget.

Æmulare, id eſt, bonos imitare, Apoſt. *Bonum æmulamini*: & rurſus, *Æmulamini chariſmata meliora.* ¶ Pœnitentiã age, nec putes difficilem eſſe medicinam, *Ecce ſto ad oſtiũ*, id eſt,

id est, propalam, ad manum, in promptu, nām sto ad ostiū cordis tui, & pulso quottidie per inspirationem, & auxilia. O Saluator Omnipotens! Quanta est erga homines charitas tua, solicitudo indefessa, ac materna compassio! Parū tibi fuit pro illis mortalem naturam apprehendere, esurire, sitire, flere, laborare, peregrinari, opprobria sustinere, sputis conspurcari, spinis coronari, flagellis cædi, malignātium sententia damnari, clauis configi, aceto potari, sceleratis similem deputari, & postremo Crucis patibulo subijci, & turpissima morte priuari vita. Sed illud addis tuę dilectionis argumentum, quod quottidie pulsas ad ianuam cordis, nō propter te, qui nullius eges, sed pro illorum bono. S. Iacob. cap. 5. n. 9. *Ecce iudex ante ianuam assistit*, & Cant. 2. 9. Concludit: *si quis audierit vocem meam*, id est, inspirationes meas. *Et aperuerit ianuam*, id est, fecerit aditū per pœnitentiam. *Intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum*, id est, reconciliabitur mihi, & ego ei, nam cœna mutua in eodem vase, signum est mutuæ dilectionis. Vel *cœnabo cum illo*, spiritualiter in via, *Et ipse mecum* in patria cœlesti. Luc. 12. 37.

Qui vicerit dabo ei sedere mecū in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius. N. 21.

Hic locus difficilis fuit omnibus interpretibus. S. Tho. 3. p. q. 58. art. 4. ad 3. per hunc thronum intelligit Regiam Christi potestatem, quam habet à Patre, iuxta illud: *Pater omne iudicium dedit Filio*, & secundum hoc dicitur sedere in throno Patris. Sed cum alij sancti habeant hanc potestatem à Christo, ideó dicuntur in throno Christi sedere. Ego tamen existimabam, thronum in præsenti poni pro cœlo. Matth. cap. 5. n. 34. *Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cœlum quia thronus Dei est*, & Apoc. 12. 5.

Et

Et raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius. Sicut enim Christus viuit propter Patrem in throno, & gloria maiestatis, quia constituit eum hæredem vniuersorum, ad Hebr. cap. 1. n. 2. ita & iusti propter Christum viuunt, & sedent cum eo in cœlo, & in throno eius.

CAPVT QVARTVM.

CONTINAVTIO.

FRequens est in hac prophetia repetitio, & crebra hysterologia, vndè in hoc capite continuat materiam primæ visionis, de qua in capite. 1. Et Christus Dominus in præsenti sedet in sede maiestatis, mundum iudicans, iuxta illud Matth. cap. 19. Cum sederit filius hominis in sede maiestatis. *In cap. 1. apparuit inter candelabra, vt sic iudicium incipiat à domo Dei, & præambula est illa visio, necessaria ad Prælatorum correctionem, & in Præsulibus monentur & subditi, nam superiore ad rectam vitam reuocato, eius exemplum subditi sequuntur, nullumque maius remedium ad vitæ directionem, quam iudicij repetita memoria.*

TEXTVS.

N. 1. Post hæc vidi: & ecce ostium apertum in cœlo, & vox prima, quam audiui tanquam tubæ loquentis mecum, dicens, ascende huc & ostendam tibi quæ oportet fieri cito post hæc.

HIc versus facilis est, sed eum difficilem reddidit interpretum argutia, propter verbum illud: *ostium*, nam se premunt in eo aperiendo. Sed omissis omnibus, dicendum est, hoc ostium esse cognitionem, & intelligentiam

sequen-

sequentis visionis, vt 1. Corint. 16. 9. *Ostium mihi apertum est magnum, & euidens*, & 2. Corint. 2. *Et ostium mihi apertum esset in Domino*, & supra cap. 3. 8. *Ecce dedi coram te ostiũ apertum*, quæ verba consonant cum verbis huius textus, *Ostium apertum*. Nota quod ostium apertum vidit in cœlo S. Ioannes, nam cognitio arcanorum Dei de cœlo descendit, quisquis ergo reptat in terra, ad cognitionem diuinæ reuelationis nunquam ascendet. ¶ *Vox tanquam tubæ*, est vox Archangeli, in cuius tuba mortui resurgent. 1. ad Thes. cap. 4. num. 16.

Et statim fui in spiritu: & ecce sedes posita erat in cœlo, & supra sedem sedens. N. 2.

Hæc sedes est thronus magnus, & candidus, vt infra cap 20. n. 11. *Et vidi thronum magnum, & candidum.* ¶ Erit hæc sedes in cœlo, id est in aëre, Apost. 1. ad Thes. cap. 4. n. 17. *Simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera*, cœlum in hac Apocalypsi ponitur pro aere, infra cap 19. n. 17. *Auibus, quæ volabant per medium cœli*, & apud Iuris Consultos, idem est cœlum quod aer. l. 1. ff. de acqui. possess. §. 1. intt. de iur. natur. Dices numquid iudicium futurũ est in regione aerea? Sanè hoc videntur indicare verba illa Apostoli. *Rapiemur obuiam Christo in aera*, & locus iste in præsenti: *Sedes posita erat in cœlo*. Et hoc etiam indicat multitudo hominum iudicandorum, præcipuè cum dicatur infra cap. 20. n. 11. quod terra fugiet, nec inuenietur amplius, quando venerit Dominus iudicare, de hoc tamẽ nihil scio. ¶ *Supra sedem sedens*, id est Christus Dominus, vt cap. 20. n. 11, *Et vidi thronum magnum, & candidum, & sedentem super eum*, quæ verba concordant cum verbis nostris, *Sedes posita, & supra sedem sedens* & constat, quod is qui sedet in throno ibi, sit Christus Dominus, mundum iudicans, vt patet ibi in litera, ergo idem dicendum est in præ-

 senti,

senti,& sic quod sessor sit Christus Dominus,in quo multi conueniunt,& quod sedet iudicans omnes Gentes,iuxta illud Matth. 19. *Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ*,& Esai. 6. & hoc etiam indicant sedilia seniorum de quibus infra,& voces,ac fulgura,quæ procedũt à throno.

N. 3. Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis iaspidis, & sardinis: & iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ.

Ex his verbis euidentius apparet,sedentem esse Christũ Dominum, vt probat Alex. Hal. Est enim Christus lapis firmus,& pretiosus, Zachar. 3. 9. *Quia ecce lapis quem dedi coram Iesu: super lapidem vnum septem oculi sunt.* Dicit enim Apost.ad Rom.9. 33. *Sicut scriptum est ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali: & omnis qui credit in eum,non confundetur.* Esai.28. *Ecce ego mittã in fundamentis Sion lapidem probatũ angulare ẽ,pretiosum,in fundamẽto fundatum.* cap.fundamenta de elect.in 6. S.Petr. epist. 1. cap.2. n.6. Psal. 117.n.22. quæ scripturæ loca de se Christus interpretatus est,Matth.21.*Nunquam legistis in scripturis,lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Dicitur Christus Dominus similis lapidi iaspidis, & sardinis, quia simul est Deus,& Homo. In iaspide resplendet diuinitas Christi, in cuius conspectu, & fruitione, viror immarcessibilis gloriæ consistit. In sardine, humanitas Christi refulget,quæ passione rubuit: Esai. 63. *Rubrũ est vestimentum tuum.* Est enim sardis gemma rubens,vt inquit Dioscorides. Item iaspis, & sardis mirifice conueniunt Christi perfectionibus,nam iaspis tot virtutes habere creditur,quot venas, & sardis, teste Dioscoride, est gẽma salutifera, vndè hæc similitudo designat varias esse in Christo perfectiones, & aduersus omnia mala medicinã salutarem. Verius tamen est, quod cũ iaspis sit lapis multicolor

ticolor, & refulgens, & ſardis apparentiam ignis habeat, talis erit aduentus Saluatoris ad iudicium, vt ſup. cap. 1. n. 14. *Et oculi eius tanquam flamma ignis*, & n. 16. *Et facies eius ſicut Sol.* Nota quod qui ſedet in ſede in præſenti, eſt idem qui apparuit inter candelabra in cap. 1. n. 13. & hoc probatur ex ſententia Innocentij III. in cap. ex ore 17. de priuileg. vbi inquit, *ex ore ſedentis in throno procedit gladius bis acutus*, cum tamen gladius procedat ab ore ambulantis inter candelabra, vt in d. cap. 1. n. 16. Nota etiam quod qui ſedet in hac ſede, eſt Chriſtus, ita Alex. de Hal. in præſenti, & conſtat ex litera, nam quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores, cum referunt gloriam, & honorem ſedenti ſuper thronum ſic effantur, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt*, ſi ergo qui ſedet venturus eſt, ergo Chriſtus Dominus eſt qui ſedet. Vide quæ ſcripſi cap. 1. num. 4.

Iris, quam vidit S. Ioannes, repreſentat ſanctiſſimā Crucem Redemptoris noſtri, coronam ſpineam, & ſub his totam paſſionem, vt voluit Alcaſ. Sanctiſſima Crux apparebit in iudicio, cum Dominus ad iudicandum venerit. Notiſſima eſt ſanctiſſimæ Crucis ad iridem proportio, nam ſicut iris propitiationis eſt ſignum, dicente Domino ad Noe. *Ponam arcum meum in nubibus cœli, & recordabor fœderis mei quod pepigi tecum*, ita & Crux Redemptoris noſtri propitiatio fuit humano generi, in qua omnes redempti ſunt, & Iris Crucem repreſentat, vt planè probat P. Iacob. Pinto de Chriſto crucif. lib. 1. tit. 3. loc. 8. n. 6 & lib. 2. tit. 4. loc. 8. n. 5. & lib. 4. tit. 6. loc. 7. à n. 2. & vide Geneſ. 48. 22. & Couar. in ſuis emblem. Quare autem dicatur viridis, & ſimilis ſmaragdo, dixi in ſynopſi.

Et in circuitu ſedis ſedilia viginti qua- N. 4.
tuor, & ſuper thronos viginti quatuor ſe-
niores ſedentes circū amicti veſtimentis

albis,& in capitibus eorũ coronæ aureæ.

Hi viginti quatuor seniores, sunt 12. Apostoli, & 12. Tribus Israel, siue Patriarchæ ex eius progenie descendẽtes,& hoc etiam tenent Primasius,& Pannonius,nec debemus intelligere carnaliter duodecim filios Iacob,sed Patres spirituales ex semine Iacob, sicut fuit Esaias, Ieremias,& alij Prophetæ.Hi sunt seniores illi in quorum cõspectu glorificandus est Dñs in iudicio.Esai.24.23.*Erubescet Luna,& confundetur Sol, cum regnauerit Dominus exercituum in monte Sion,& in Ierusalem, & in conspectu seuum suorũ fuerit glorificatus.*Hi sunt viginti quatuor senes, quos elegit sibi Deus ad doctrinã populi sui. Hi sunt qui,euersa Babylone,& destructo,ac postratõ peccati regno, maxime congaudent,vt infra cap.18.n.20.*Exultate super eam cœli, & sancti Apostoli, & Prophetæ.*Sunt enim Apostoli, & Prophetæ fundamentum, super quod ædificati sumus, Apost.ad Ephes. 2. *Estis ciues Sanctorum, & domestici Dei super ædificati super fundamentum Prophetarum, & Apostolorum*,vndè infra cap.21.n.12.& 14.in portis,& fundamẽtis cœlestis Ierusalem scripta sunt nomina 12. Apostolorum, & 12. Tribuum, id est Prophetarum ex Tribubus, qui martyrio coronati sunt,scripta autem sunt eorum nomina,vt significetur eorum potestas. ¶ Nota quod 12. Apostoli cum Christo Dño iudicaturi sunt, constat Matth. cap.19. n.28. *Cũ sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* Item iudicabunt 12. Patriarchæ ex Tribubus, inter quos primas tenet S. Paulus. Nota etiam quanta sit dignitas Sanctorum Apostolorum, & Prophetarum, qui cũ Christo iudicaturi sunt omnes Gentes, sunt enim mõtes excelsi, & fundamenta firmissima, quibus Christiana nititur Religio, cap.fundamenta de elect.in 6. ¶ Coronæ aureæ designant absolutã in iudicio iudicãdi potestatem. ¶ Vestimenta alba sunt vestimenta gloriæ, vt dixi supra cap.3.n.18.

Et

Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua: & septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei. N. 5.

Fulgura, voces, & tonitrua, quæ procedunt de throno, indicant, diem illum iudicij futurum diem iræ, & furoris, vndè supra cap. 1. n. 15. dicitur, quod vox iudicantis erit tanquam vox aquarum multarum, & alludit ad diem illum, vbi populus Israel timuit in cōspectu Domini. Exod. 19. *Et ecce cæperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & timuit populus qui erat in castris.* ¶ Septem lampades sunt septem Angeli Primarij, in quorum tuba congregandus est vniuersus Orbis Matth. 24. 31. *Et mittet Angelos suos cū tuba, & voce magna.* Angeli dicuntur lampades, tum propter splendorem, quo radiant, tum quia homines, luce à Deo accepta, illuminant. Repete quæ dixi supra cap. 1. n. 4.

Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo. N. 6.

Hoc mare est cœlestis Ierusalem Beatorum sedes, & domicilium. Multis ex causis Empyreum dicitur mare: tū ob amplitudinem, & incomparabilem Beatorum multitudinem: tum propter maximam aquarum, id est gratiarum abundantiam: tum quia firmamentum fecit Deus ex aquis Genes. cap. 1. n. 7. appellauitque firmamentum cœlū d. cap. 1. n. 8. & congregationes aquarum appellauit mare d. cap. 1. n. 10. Sequitur ergo firmamentum rectè dici mare. ¶ Dicitur autem hoc mare vitreum quia pellucidum, & diaphanum. Dicitur etiam simile crystallo quia aquæ ex quibus empyreum compactum fuit, condensatæ, congelatæque fuerunt. Crystallus nil aliud est quam aqua cōgelata. Vel dicitur mare vitreum simile crystallo propter splen-

splendorem, puritatem, & soliditatem. Vnde infra cap. 21 cœlestis Ierusalem comparatur vitro, & crystallo, ibi: *Lumen eius simile lapidi pretioso tanquam lapidi iaspidi, sicut crystallum*, & inferius. *Ipsa vero ciuitas aurum mundum, simile vitro mundo*, & iterum. *Et platea ciuitatis tanquam vitrum perlucidum*, & rursus cap. 22. n. 1. *Et ostendit mihi fluuium aquæ viuæ splendidum tanquam crystallum.* Epitheton maris est *vitreum* Horat. lib. 4. carmin. *Vitreo daturus nomina Ponto.* Et Virg. 7. Æneid. *Vitrea te fucinus vnda.*

N. 7. Et in medio sedis, & in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante & retro.

Difficilis est locus iste. Non dubito in his quatuor animalibus oculorum plenis contineri vniuersitatem Sanctorum quasi in fasce, & cumulo. Id probo primo quia sancti per oculos designantur Zachar. cap. 3. *Ecce lapis, quem dedi coram Iesu, super lapidem vnum septem oculi sunt*, id est, omnes iusti, nam numerus septennarius vniuersitatem cõtinet. Secundo id probo ex cap. 33. Esai. n. 20. *Respice Sion Ciuitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Ierusalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam trãsferri poterit*, & n. 17. *Regem in decore suo videbunt oculi eius.* Vbi per oculos sanctos ipsos cœlestis Ierusalem designari palam est, quinimo hominis sanctitas ab oculis denominatur S. Matth. cap. 6. n. 22. *Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidũ erit.* Tertio probatur ex verbis huius capitis infra. n. 8. *Et requiem non habebant die ac nocte, dicentia Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens qui erat, & qui est, & qui venturus est*: quibus verbis manifeste constat sermonẽ esse de sanctis, qui incessabili voce proclamant, dicentes Sanctus, Sanctus, Sanctus, nec sine mysterio in animalibus sancti collocantur, quod in vnoquoque animali oculis pleno

no contineatur multitudo viuentium ad differentiam reproborum, quibus est pars in morte secunda. Quarto id probo ex his, quæ affert Franciscus de Iesus in cap. 7. Apoc. vers. 9. sect. 3. ibi: *Ex quibus omnibus*. Et Pannonius in præsenti, sect. 2. punct. 2. ibi: *Designantur per hæc animalia omnes sancti*. Dices quomodo animalia sunt in medio sedis, & in circuitu? numquid eodem tempore sunt in dupli ci loco? vel per interualla, vt nunc sint in sede, nunc in circuitu? Scias quod in hoc articulo variant interpretes. Ribera vir sacrarum literarum peritissimus contendit vnũ ex quatuor animalibus esse in sede, & tria alia animalia esse in circuitu. Alij constituunt duo animalia in sede, alia duo extra sedẽ in circuitu. Alij liberaliores sunt qui multiplicant quaternarium animalium, vt sit in sede, & circuitu repetendum, cuius opinionis fuit Alcazar. Credo tamen ex animalibus vnũ in sede constituendum, leonem scilicet, in quo Christipara sanctissima cum Regali prosapia, & Sanctissimo Ioseph residet. Sedebit igitur Deipara in throno maiestatis mũdum iudicatura, iuxta illud *Astitit Regina à dextris meis*. ¶ Animalia plena erant oculis ante & retro, id est per totum corpus.

Hæc est vera, & literalis animalium expositio, aduersus quam potest obijci, quod vnumquodque animal vnam personam tantũ referat, nam dicitur infra cap. 6. *Et audiui vnũ de quatuor animalibus dicẽs veni & vide*, & cap. 15. n. 7. *Et vnum de quatuor animalibus dedit septem phialas septem Angelis*. Responderi potest, per figuram synecdoche poni totum pro parte, id est, totum animal, quod constat multis sanctis, pro vno sancto. Vel aliter, *Audiui vnum de quatuor animalibus*, id est, cætum Sanctorum, qui continetur in vnoquoque animali. Vel verius id quod dicitur d. cap. 6. *Audiui vnum de quatuor animalibus*, metaphoricũ est, vt dicemus ibi. ¶ Secunda difficultas quæ consurgit aduersus expositionem, illa est, quod in gratiarum actione præcellunt animalia senioribus, vt infra cap. 5. n. 8. *Et cũ ape-*

aperuisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, & n. 14. *Et quatuor animalia dicebant amẽ, & viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas,* vbi cernis prius nominari animalia, & sic videntur in dignitate præcedere, ergo seniores non sunt Apostoli, nam præirent. Tripliciter potest responderi. Primo quod congregatio omnium Sanctorum, in animalibus expressa, æquiualet. Secundo quod in coniunctis, & annexis ordo non attenditur; vt dixi supra cap. 1. n. 4. & 5. Et in hac Apocalypsi, multoties præponuntur seniores, vt infra cap. 7. n. 11, *In circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium*, & cap. 19. n. 4. *Et ceciderunt seniores viginti quatuor, & quatuor animalia, & adorauerunt Deũ.* ¶ Nota ad mores, quod sancti per oculos designantur, quia ipsi tantum oculos habent. Reprobi vero oculos habere non creduntur, nec vident miserias, quas patiuntur, vndè miserabilis ille Episcopus Laodicensis cæcus arguitur, quia laborabat miseria culpæ, & ei dicitur: *Collyrio inũge oculos tuos vt videas*, cap. 3, n. 17, & 18. Labuntur miseri peccatores, & cæci relabũtur, ac tandem inter peccata labantes, suo se gladio iugulant, & in lacum iræ Dei se præcipitant. De his animalibus in cap. scriptum de elect.

N. 7. Et animal primum simile leoni, & secundum animal, simile vitulo: & tertium animal, habẽs faciem quasi hominis; & quartum animal, simile aquilæ volanti.

Quatuor hæc animalia, vt dixi, designant Sanctorum cœtus, similitudo leonis Reginam cœlestem cum cæteris de domo Regali, similitudo vituli Martyres, similitudo hominis Virgines, qui imagines suas non deturparunt, nec se contaminauerunt improbæ voluptatis contagio, similitudo aquilæ Doctores, cæterosque Confessores. Potest etiã dici,

dici, quod Virgines contineantur ſub ſimilitudine leonis, & quod conſtituendæ ſint in ſede, nam ſequuntur Agnũ, & tunc ſimilitudo hominis continebit Confeſſores. Notãdum etiam eſt, quod animalia hæc, non ſunt in re leo, vitulus, vel aquila, ſed hoc dicitur metaphorice, & infigura, & vt inquit textus, *ſimile*. Nota ad mores, quòd omnis Dei ſeruus, & vnuſquiſque electus, in quantũ rationabiliter ſecundũ voluntatem Dei viuit, homo eſt. In quantum vero aduerſa iſtius ſeculi æquanimiter, & fortiter tolerat, leo eſt, nam ſcriptũ eſt. Prouer. 28. *Iuſtus quaſi leo cõfidens abſq; terrore erit.* In quantum ſe mortificat, vitia reprimens, vitulus eſt. Denique in quantum per mentis contemplationem petit cœleſtia, aquila iudicatur. Ex hinc collige quali argumento Filij electionis & gratiæ cognoſcantur. Primum ſi quis vitulus ſit, hoc eſt, qui ſe norit mactare veterem hominem, & ſenſualitatem noxiam, ac tandem pati pro veritate non recuſauerit. Secundo ſi leo ſit, id eſt, intrepidus aſſertor veritatis. Tertio ſi homo, hoc eſt, ratione vtens, & ſi ſit in eo iuſtorum doctrina & conuerſatio. Quarto ſi aquila, hoc eſt, ſi deſiderio ſimul, ac contemplatione petat cœleſtia.

Et quatuor animalia, ſingula eorum habebant alas ſenas in circuitu: & intus plena ſunt oculis. N. 8.

Nil difficilius eſt in hoc capite, quam hoc ſenarium alarum in quolibet animali. Olim exiſtimaui in his alis contineri omnes Angelos propter excellentiorem naturã illorum, quæ alæ comparatur; nec leui coniectura mea opinio fulciebatur, nã Seraphim apud Eſai. cap. 6. ſex alas habent. *Seraphim ſtabant ſuper illũd, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri*, & quem admodum in præſenti dicunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: ita & ibi: *Et clamabat alter ad alterum, &*

dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Sed verius est, in his sex aliis contineri præstantiores sanctitate viros, legis naturæ, legis scriptæ, & legis gratiæ. *Plenæ sunt hæ alæ oculis*, id est his sanctis præstantissimis. *In circuitu, & intus*, propter multitudinem.

Solum restat ex hoc capite explicare illa verba: *Et cũ darent illa animantia gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum, viuenti in secula seculorum: procedebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabãt viuentem in secula seculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, &c.* Videtur implicare, quod perpetuo mittant coronas ante thronum. Dic quod hoc dicitur metaphoricè ad significandam perpetuam reuerentiam, vt cum dicimus potestatem, & iurisdictionem inferiorum esse in Principis tribunali. Vel hoc referendum est ad diem iudicij, cum Christus Dominus in conspectu seniorum suorũ glorificandus est: Esai. cap. 24. in fine. Nota quod hi magni Reges, & supremi consiliarij procidentes adorant Christum Dominum, Regem Regum, & Dominum Dominãtium, & mittunt coronas suas ante thronum, eorum exẽplo debent Reges terræ se Christo, & Ecclesiæ obsequentissimos exhibere, & coronas suas ante pedes Christi ponere, sic eas firmius retinebunt, nam seniores dum propensius eas deuouent, securius retinent, & adhuc sedentes proponuntur, dum procedentes adorant.

CAPVT QVINTVM.

CONTINVATIO.

HOc caput continuandum est cum antecedenti, nam sedente Christo Domino in iudicio, quod sequitur est manifestatio libri, ex quo iudicandus est mundus. His liber, tẽpore, quo Ioanni fiebat reuelatio, signatus erat. Sed in die iudicij aperietur, vt infra cap. 20. Liber apertus est qui est vitæ, *& ibi:* Et libri

bri aperti sunt. *Hic liber signatus est ab origine mundi*, septē sigillis *id est, septem millennarijs, vt probat Pannon. in cap. 6. Apoc. sect. 1. punct. 1. ibi: Septem hæc sigilla, septem tempora sunt, vti infra explicabimus.*

TEXTVS.

Et vidi in dextera sedentis supra thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. N. 1.

HIc liber concipi non debet tanquam materialis liber, quamuis Ioanni ostensus esset tanquam materialis in figura, & representatione. Hic liber est incomprehensibilis Dei rerum memoria, & cognitio, liber præscientiæ suæ Dauid Psalm. 138. *In libro tuo omnes scribentur.* Exod. 32. *Aut dele me de libro, quem scripsisti, &c.* Hic est liber historiæ mundi, de quo nostra Mater Ecclesia: *Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur*, vbi notanda est similitudo vtriusque libri, nam etiam in præsenti dicitur: *Librum scriptum*, neque alius est locus in sacris literis, vndè posset locus ille Ecclesiæ depromi. Audi quid dicat S. Bonauentura de hoc libro, in opusculo, quod inscribitur, incendiū amoris: *Liber iste est vniuersalis rerum notitia*, & alludit infra cap. 17. Apoc. *In libro vitæ à constitutione mūdi.* Et Andreas Cæsar. hunc librum censet esse Dei decretum, & memoriam, in quo omnia descripta sunt, & Aureolus affirmat, librum esse diuinæ sapientiæ arcanum, & Pater Maldonatus apud Cornelium existimauit, librum esse Dei scientiam, scitè S. Ambros. ait, hunc librum esse chronologiam mundi, & septem sigilla, totidem mundi ætates, vt refert Cornelius in præsenti, quos omnes post meam opinionem vidi, & eam euidentius comprobaui. ¶ Scriptus est *intus & foris*, quia cognitio Dei interiora, & exteriora scrutatur, item præterita, quæ continetur sub particula *fo-*

ris,& futura sub particula *intus*. Vel *scriptum intus & foris*, propter operationes ad intra & extra, vt loquuntur Theologi. Vel *scriptum intus & foris*, propter latam libri historiam, iuxta illud,

Scriptus & in tergo nondum finitus Orestes:

Et illud Esai. 8. *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis*. Mercurius Trismegistrus asserebat mundum esse librum quendam diuinitatis, vt refert Cornelius in Pētath. in proem. sect. 1. Debet ergo liber Ioanni ostensus cōcipi quasi mappa mundi, sicut pictus dicitur Romæ in tēplis, teste Cornelio in præsenti, & est similis libro, quem vidit Ezech. cap. 2. n. 9. *Et vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat inuolutus liber, & expandit illum coram me, qui erat scriptus intus & foris*. Hic liber est in dextera sedentis, id est Christi, quoniam omne iudicium, & potestatem dedit ei Pater. Vel est in dextera sua, id est, in fortitudine, quia in illo die reget Gentes in virga ferrea.

Signatum sigillis septem, id est, sigillatus, & clausus ab origine est liber hic septem temporum periodis, vt dixi supra ex Pannonio, septem millennarijs, & adeò signatus, vt legi, & percipi non possit, nisi referentur & prætereant tēpora huius seculi, eis elapsis manifestabitur in iudicio. Dicam apertius, septem millennarijs liber signatus est, quæ nisi elabantur, clausus erit, & obsignatus, nec aperietur nisi peractis septem annorum millibus ab origine mūdi. Dan. 12. *Signa librum vsque ad tempus statutum*, & iterum. *Quia clausi sunt, signatique sermones vsque ad præfinitum tempus*. Sicut enim id quod habetur sub sigillo clausum, & occultum est, ita tempora quæ antecedunt iudicium, sigilla proprie dicuntur.

Septem millennarijs, rerum Conditor, librum qui in mente sua continetur, sigillauit, ideo agens de aduētu Domini S. Iudas in sua epist. n. 14. ait: *Prophetauit autē de his septimus ab Adam Enoch, dicens, ecce venit Dominus in sanctis millibus suis*. Vbi vides omnia iuncta esse, iudicium vniuersale,

sale, numerus septennarius, & milliaria. Dominus enim sigillis sigillauit tempora, & mensura tempora mensurauit, vt est in lib. 4. Esdr. cap. 4. Vndè Aretas rectè existimauit, septem sigilla significare dierum varietates, & successiones, præcipuè cùm equi, qui sigillis includuntur, temporũ vniuersitatem exprimant, vt est apud Pieriũ, verbo *equus*, & S. Ambrosius contendit, per equos tempora denotari, cuius rei rationem reddit Haye cap. 6. Apoc. vers. 2. *Quia sicut equi pernicissimi sunt ad cursum, ita tẽpore nihil est ocyus.* Illud tamen aduertendum est, hæc septem millennaria durationis mundi non esse eiusdem ordinis, sed sex antecedentia iuxta vulgarem supputationem accipienda esse, septimum autem mysticum, & symbolicum esse, nec certam apud nos finitionẽ habere, vt dicemus infra cap. 20.

Si autem liber hic historiam mundi continet, non abs re erit, si manifestum faciam, singula sigillatim sigilla includere millennariũ. Omitto ordinem, & sequelam, qua suapte natura, sigilla ipsa libro affixa prædicant esse millẽnaria, librumque aperiri non posse, nisi ipsa annorum spatia præterlabantur, certius tamen fundamentum est, quod liber Dei non debuit alijs nisi Dei sigillis obsignari, quod cum ita sit, inuenio apud Græcos, quorum idiomate Apocalypsis scripta fuit, idem quod est sigillum Dei, significare millennarium, nam apud eos *alpha* est sigillum Dei, hæc eadem, si ei subiecta sit virgula toni acuti, millennarium demonstrat, quod ab Hebræis Græci mutuarunt, nã Hebræorum sapientes, *aleph* literam, sigillum esse Dei indicauere, cui si apex supponatur, etiam docuerunt significare millennarium. Hæc habeo apud probatissimos magistros, quibus consentit Petrus Bungus de numer. myster. in tract. de num. millen. Quibus & addere me posse censeo, ideò cap. 1. Apoc. Deum dici *alpha*, & *omega*, vt intelligamus, primam literam esse signum Dei, quia hæc litera principium est alphabeti, sicut Deus principium est omnium rerum: est etiam Deus omega (quæ est litera vltima alpha-

alphabeti)id est,finis,& complementum rerum,& quemadmodum millennarius numerus omnium perfectissimus est, & finis numeri perfecti, ita & Deus : commodissime ergo sigillum Dei millennarium includit.

Secundo efficacius probatur, nam apud Græcos nomẽ *Semion* significat signum, & sigillum, & hoc ipsum nomen significat milliare,& tẽpus longũ,vt patet in Lexic.Græc. Dices, S. Ioannem in præsenti non fuisse vsum nomine, *Semion*, sed nomine, *Sphragis*. Respondeo Græcos promiscue vti his nominibus, sicut & verbis *Sphragizo*,& *Semaino*, vt notat Viegas in cap.1. Apoc.comment.1. tract.3.n.2 & infra cap. 7. iunguntur signa & milliaria. ibi: *Duodecim millia signati*, & S. Ambrosius per sigilla intelligit mundi tempora,vt dixi sup.n.1.

Sunt & alia fundamenta non minoris ponderationis ad euidentiam millennarij, cuique sigillo respondentis, nam probatissimorum codicum fide compertum habeo,septimum sigillum pertinere ad caput vigesimum Apoc.& silentium quod fit in cœlo quasi media hora in cap. 8. esse de signo septimo,& hoc silentium dimidiæ horæ, significare,prædictum sigilium constituendum esse in cap.20.vt infra dicemus. Quod cũ ita sit,iam video quare Euangelista in d. cap. 20. sexies per sex continuos primos versus repetat numerum millennarium.Cur igitur toties repetit, & inculcat? nisi vt doceat interpretem, sex millennaria, ibidem repetita,pertinere ad sex sigilla,quæ præibant,neque adiecit numerum septimi sigilli, quia non est de numero vulgari, sed indefinito, qui potest compendio aliorum contineri,nec sine mysterio per anticipationem in d. cap.8.constituitur septimum sigillum, ne collocatum in cap. 20. memoriam hominum excitaret, vt crederent, suum cuique sigillo respondere millennarium, quod erat alienum à mente Prophetæ,qui iussu Dei,hanc prophetiã in tempus statutũ obsignauit. Sed illud admiratione dignum est, Euangelistam in dict. cap. 20. pro nomine *sigilli*

vsum

vsum fuisse verbo *sigillandi*, & loco *sigilli* substituisse verbum, *signo*, quod est sigillum, vel signum pono, ait ibi: *Et signauit super eũ donec consummentur mille anni*, id est, sigillũ apposuit super draconem, serpentem antiquum per mille annos, quid clarius? His accedit quod quemadmodum in d. cap. 20. agitur de libro scripto, sic similiter in eo mentio fit sigillorum, & millennaria illa sexies repetita sunt sigilla libri de quibus in præsenti.

Sed nec illud omittam, annos, signa dici, & sigilla temporum, sic Lucanus *Fer signa decem fœlicia castris*. Sunt autem anni signa temporum, quia ad cœli signa referuntur. Hinc Orbis magnus, seu annus maximus (quem Solis & Lunæ, vagarumque quinque stellarum, Orbes conficiunt, cum ad idem signum, vbi quondam, tanquam sigilla cœli, simul fuerunt, vna reuertuntur) non impropriè multorum recentiorum sensu, signum temporis, siue millennarium dicitur, licet Iosephus lib. 1. antiquit. cap. 8. contendat, annum magnum solum continere sexcentos annos, & alij annum magnum ab Orbe condito ad mũdi cataclysmum referant, natura enim, interuallo millennarij, siue anni magni signum suum, siue sigillum labenti tempori affigit, perfectus enim numerus, qualis continetur in millennario, perfectum annum complet, sic in Genes. cap. 1. n. 14. signa & tempora coniunguntur. Quod autem dicitur apud S. Luc. cap. 4. n. 19. Christum Dominum prædicasse annum Domini acceptum, refero ad annum illum magnum Regni sui, sigillum nulla vetustate rumpendum.

Ex dictis sequitur mundum septem mille annis duraturum, quia septem sigillis liber clauditur, sed sex prima millennaria erunt vulgaria iuxta vulgarem supputationẽ, septimum millennarium mysticum est, & quem admodum vita hominis mundi parui septennio volvitur, sic & vita mundi magni, septennio milliarium terminabitur, id indicant in sua volubilitate septem Planetæ quibus mundus regitur, id exprimunt septem lucernæ candelabri tabernã-

bernaculi, id etiam manifestant illa septem hominum millia, qui peribunt in terremotu magno infra cap. 11. n. 13. id tandem significat numerus septennarius quadragies in hac Apocalypsi repetitus, quasi hic numerus septennarius sit materia totius Apocalypsis, in qua totius mũdi historia continetur. Et septem sigilla respondẽt septem illis diebus, quibus Ezechiel viso libro cõplorauit, cap. 3.

Ex dictis etiam sequitur librum ipsum præsciẽtiæ Dei, in diem iudicij obsignatum esse, sed multa ex libro Christus Dominus reuelauit Ecclesiæ in hac Apocalypsi, itaq; liber signatus ante iudicium non manifestabitur, solumq; manifestabitur libellus ille apertus, de quo infra cap. 10. Qui igitur librum à libello non discriminauerit, medullam mysteriorum non attinget.

N. 2. Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magna, quis est dignus aperire librũ, & soluere signacula eius?

Valde laborant interpretes in cognitione huius Angeli. S. Anselmus, & Pannonius existimant esse vnum de primis Prædicatoribus Ecclesiæ, & meo videri id denotat textus ibi: *Prædicantem.* Et sane semper existimaui esse S. Paulum, Gentium Magistrum, Ecclesiæ lumen, Patrem veritatis, & meum, quem ex corde diligo. Dicitur Angelus propter Apostolatum, & prædicationem, vt supra cap. 2. Est etiam Angelus fortis, nam inter cæteros Christi prædicatores, ipse fortior apparuit in potentia, & tribulatione, & quia plus cęteris laborauit. Fuit Christi fortis equus, quem portauit per vniuersum Orbem. Habacuc. omnes ministros Euangelij equos appellat, cap. 3. n. 8. *Qui ascendis super equos tuos*, sed S. Paulus superior est in prædicatione, quæ credita est ei à Christo: iuxta illud ad Titum. 1. *In prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptum Salnatoris*

uatoris nostri Dei,& 2. S. Petr. 3. *Et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam.* Est enim S. Paulus vox magna prædicationis,ideò dicitur in hoc textu: *Prædicantem voce magna.*

Verba autem huius Angeli, hæc erant. *Quis est dignus aperire librum,& soluere signacula eius*:Si enim liber,vt diximus, est cognitio, & scientia Dei, quis poterit eam explicare,cognoscere,aut comprehendere? Nemo sanè, nā nec tantus Apostolus capere, aut percipere poterat, dicit enim scribens ad Rom. *O altitudo diuitiarum sapientiæ,& scientiæ Dei,quam incomprehensibilia sunt iudicia eius,& inuestigabiles viæ eius.* & iterum: *Quis cognouit sensum Domini,aut quis consiliarius eius fuit.* S. Ioan. cap. 12.n.38. *Et brachium Domini cui reuelatum est*, quæ verba maxime notanda sunt, quia liber in præsenti ponitur in dextera & brachio Saluatoris, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ,& scientiæ Dei.

Prosequitur: *Et nemo poterat,neque in cœlo,neque in terra, neque subtus terram aperire librum,neque respicere illum,* cum liber sit cognitio Dei,hanc nulla creatura attingit,neq; futura creaturæ cognoscunt, nam hoc pertinet ad omnipotentiam,ideò *neque in cœlo*, id est,Angelus,*neque in terra*,id est,homo, *neque subtus terram*, id est, dæmon, inuētus est, qui posset *aperire librum*,id est,reuelare & explicare, *neque respicere illum*,id est,cognoscere & intelligere. Dices, cum in cœlo nullus repertus fuisset,non erat quod adderet, *neq; in terra,neque subtus terram*, sed multoties eo euadere hominis,dæmonisque mens superba tentat, quo Angelus nō pertingit. Nota quod cum hic liber sit liber historiæ mūdi, qui in iudicio manifestandus est, ideò nullus inuentus est, qui posset eum explicare & intelligere, dicit autem Dominus per Matth.cap.24. *De die autem illa,& hora nemo scit,neque Angeli cœlorum nisi solus pater.* De die autem illa,id est,non solum de die quantum ad circumstantiam temporis,sed etiam quantum ad euentus eius diei, nemo

 scit,

scit, & ita ferè omnes locum explicant, quia solus Deus est omniscius. Addit autem S. Marcus: *De die autem illa, vel hora, nemo scit, neque Angeli in cœlo: neque filius, nisi pater.* Et sanè in præsenti dicitur, quod Christus dignus fuit aperire librum, quoniam occisus fuit, hæc autem dicuntur de Christo in quantum homo est, nam in quantum Deus omnia scit.

Prosequitur S. Ioannes. *Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum, nec videre eum.* Vberrime Ioannes complorabat, eo quod putaret, in libro illo contineri multa, & magna, scituque digniſſima, & erat causa doloris, quod nemo posset explicare, immò nec intelligere librum illum. Nota quod S. Ioannes post lachrymas consolatur versu sequenti, nam fieri non potest, vt non consoletur qui sancte luget.

N. 5. Et vnus de senioribus dixit mihi: Ne fleueris. Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid aperire librum, & soluere septem signacula eius.

Hic senior est S. Petrus, vt putauit Lyranus. Est enim maxime consentaneum rationi, quod initio prophetiæ ponantur Apostolorum Principes, qui sunt Ecclesiæ fundamenta, & lumina cap. Beati Petrus, & Paulus. 2. q. 7. cap. fundamenta de elect. lib. 6. Sunt enim primi ex senioribus, & S. Petrus maxime dilexit S. Ioannem, vnde eum solatur, dum dicit: *Vicit leo de tribu Iudà aperire librum*, id est, prævaluit, potuit, quod nemo alius poterat, *Vicit leo*, id est, Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, potuit ergo aperire librum, & in virtute & efficacia meritorum eius, possunt fideles multa mysteria de libro percipere, quæ Christus iam patefecit, dixit enim in Euangelio: *Vobis datum est nosse mysteria Regni Dei*, vt sup. cap. 1. in princ. Mul-

Multis ex cauſis Chriſtus dicitur leo. Primo propter fortitudinem. Prou. 30. 30. *Leo fortiſſimus ad nullius pauebit occurſum.* Amos. 3. 8. *Leo rugiet quis non timebit.* Secundo propter principatum, vt infra cap. 10. *Et clamavit voce magna, quemadmodum cum leo rugiet.* Tertio propter vigilãtiam. Numer. 23. 24. *Non accubabit donec deuoret prædã.* Quarto propter ſecuritatem. Numer. 24. 9. *Accubans dormiuit vt leo.* ¶ Radix Dauid dicitur, quia ſecundum humanitatem fuit de genere illuſtri, de ſtirpe Regali.

Et vidi, & ecce in medio throni, &c. Agnũ ſtantem tanquam occiſum habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem. N. 4.

Ex his euidentius apparet, Chriſtum Dominum eſſe ſedentem in throno, nam dicitur quod Agnus eſt in medio throni, & expreſſius infra cap. 7. n. 17. *Quoniam Agnus qui in medio throni eſt, reget illos,* per Agnum Chriſtus deſignatur, vt videbimus infra. Vulgo creditum eſt, ſedentem in throno eſſe Æternum Patrem, quia infra. n. 7. Agnus accipit librum de dextera ſedentis in throno. Poteſt etiam cõmunis opinio comprobari ex eo, quod Agnus in præſenti ſtat: *Agnum ſtantem,* ergo non ſedet. Sed primæ difficultati reſpondet S. Ambroſ. quod Chriſtus qua homo eſt, figuratur Agno, & idem Chriſtus quà Deus eſt, repreſentatur in ſedente ſupra ſedem, & Alex. Hal. hæc dicit in præſenti verſ. 7. *Et accepit ſcilicet in quantum homo, de dextera ſedentis in throno, id eſt, de Verbo ſibi perſonaliter vnito.* Nec ſecunda difficultas obſtat, nam participium *ſtantem* non ſignificat erectum eſſe ſupra pedes, & propria mole conſiſtere, ſed id tãtum, Agnum eſſe, & ſedere in medio throni. Vel aliter, *ſtantem,* id eſt, viuum, non mortuum, vt inquit Pater Mariana in præſenti.

Ex his iam apparet, ſedentem eſſe Chriſtum, Deum & homi-

hominem, & in hoc sensu dicitur infra. *Dignus est Agnus accipere diuinitatem*, & cap. 11. n. 16. vbi seniores dicuntur adorare Deum, id est, Christum Deum, quod patet ex sequentibus. n. 18. *Et aduenit ira tua, & tempus mortuorum iudicare*, & cap. 19. n. 4. *Et adorauerunt Deum sedentem super thronum*, qui locus consonat cum cap. 20. *Vidi thronũ magnum & sedentem super eum*, vbi vides sedentem esse Christum, qui iudicat viuos, & mortuos, & cap. 6. n. 16. *A facie sedentis, & ab ira Agni*, id est, à Christo Deo & homine. ¶ Nota quod Agnus est Christus in quantum homo, nam dicitur n. 12. *Dignus est Agnus qui occisus est*, & n. 9. *Quoniã occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo.*

Illud explicandum restat, cur dicatur Agnus? cur stet, & appareat tanquam occisus? cur habeat cornua & oculos? Sed iã de singulis. Dicitur Christus Dominus Agnus, quia fuit holocaustum, & victima nostræ redemptionis, in Cruce immolatus. Agnus fuit in humilitate, & mansuetudine, Esai. 53. *Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum; sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondẽte se obmutescet*, & cap. 16. *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ*, & in Euang. *Ecce Agnus Dei.* ¶ Quasi mortuus apparuit, quia signa, & cicatrices retinet. stat autem ad iudicandas Gentes, Esai. 3. *Dominus stat ad iudicandum populos*, stabit autem in iudicio quasi mortuus, id est, retinens cicatrices ad exercendam iustam vindictam, nam licet fuerit Agnus in passione, stabit tanquam leo in iudicio, vel vtrumque refertur ad iudicium, nam tunc erit agnus ouibus suis, leo erit reprobis. ¶ Nota quod omnis iudex & Prælatus debet esse agnus, & leo, agnus per mansuetudinẽ, leo per iustitiam, sic erit gratus Deo & hominibus, vt erat Moses.

Septem cornua significant septem Ecclesiæ Sacramenta secundum communem opinionem. Ego tamen existimaueram per hæc cornua significari plenitudinẽ potestatis, maiestatis, & fortitudinis, quam habebit Saluator nos-

ter

ter in iudicio, iuxta illud Habac 3. *Cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius*, cornu est symbolum fortitudinis, Amos. 3. *Nunquid in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua*, Psalm. 74. *Et omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iusti.* Hæc septem cornua in Agno, sunt virtus, diuinitas, sapientia, fortitudo, honor, gloria, benedictio, vt infra n. 12. *Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.*

Septem oculi designant infinitam Christi sapientiam, in quibus alluditur ad septē sapientiæ columnas, Prouerb. cap. 9. n. 1. nā in Christo, tanquā in fundamento, & capite sunt sapientiæ oculi, Ecclesiast. cap. 2. n. 14. *Sapientiæ oculi in capite eius.* Verius tamen videtur per hos septem oculos significari septem Primarios Angelos, qui astabunt in iudicio coram Christo, id probatur in textu. *Et oculos septē, qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terrā*, & Zachar. cap. 4. n. 10. *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in vniuersam terram.* Dicuntur autem hi Angeli oculi, quia per oculos, omnes spiritus Beati designantur, vt dixi cap. 4. num. 6.

Et venit & accepit de dextera sedentis in throno librum. N. 7.

Sensus est, *venit*, in quantum homo. *Et accepit de dextera sedentis in throno*, id est, de Verbo sibi personaliter vnito, *librum*, id est cognitionem absolutam vniuersorum, vt benè explicat Alex. de Hales in præsenti. ¶ Prosequitur S. Ioannes, & n. 8. affirmat, in manibus Sanctorum, & seniorum se vidisse citharas, & phialas, per quas ego intelligo angustias, & martyria, sacrificia, & orationes, in eo enim iudicio sancti insignia suarum passionum ostentabunt, nā & Christus Dominus vulnera, & cicatrices manifestabit & Crux Domini apparebit in iudicio. Cithara symbolum,

est

est Crucis, in qua sancti vt chordæ tendũtur. Phiala symbolum est calicis, in quo angustiæ & mortificationes, nec non sacrificia, & orationes conduntur, per quæ omnia sancti ad thronos, & cœlestem gloriam peruenerunt. ¶ Hæ phialæ erant plenæ adoramentorum, id est orationum Sanctorum, vbi nota orationis vim & efficaciam, quæ ascendit sursum fragrantissimo odore respersa, vndè dicebat Dauid. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*, & infra cap. 8. n. 4. *Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum.* ¶ Vel aliter & secundo dici potest, citharam, & phialam esse symbolum magnæ lætitiæ, quia in cithara modulantur suauissimi cantus, & in phialis conuiuæ exhilarantur, & omnia parantur ad canticum nouum, de quo numero sequenti.

N. 9. Et cantabant canticum nouum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.

Hoc canticum dicitur nouum, quia est de Agno sedẽte in throno, vt infra cap. 21. n. 5. *Et dixit qui sedebat in throno. Ecce noua facio omnia.* Item dicitur nouum, quia erat canticum cœlestis Ierusalem, id est, Beatorum, vt in d. cap 21. n. 2. *Vidi sanctam Ierusalem nouam descendentem de cœlo.* Item dicitur nouum, quia rarum erat, & exquisitum, eximium, & iudicundissimum, animos noua semper hilaritate demulcens, Dauid. *Cantate Domino canticum nouum*, musica enim cœlestis semper noua perseuerat, numquam inueterascit, & sicut nomen Beatorum est nomen nouum, vt sup. cap. 3. n. 12. ita & cantus, & musica. Erat enim canticum

ticum nouum, id est, maximæ lætitiæ, nam habebāt citharas, & phialas ad huiusmodi cantum, vt dixi sup. n. 7. vndè dicitur apud Ierem. 31. 22. *Creauit Dominus nouum*, id est, rem eximiam, & maximæ lætitiæ, nimirum *fœmina circũdabit virum*, id est, Virgo concipiet Christum.

Materia cantici erat: *Dignus es Dñe accipere librũ & aperire signacula eius, quoniã occisus es*, quæ verba sic versat Cornelius. *Particula quoniã significat causam meritoriã. Vnde patet, Christũ merito passionis & mortis suæ, accepisse à Deo potestatẽ reuelandi cui vellet futura*, alludit enim ad illud Pauli ad Heb. 2. 9. *Videmus Iesum propter passionẽ mortis gloria, & honore coronatum*, vndè & in morte Deus apparuit, dixit enim Centurio: *Vere hic filius Dei erat.* ¶ Nota quod tempore, quo Ioanni facta est reuelatio, aperuit Christus librum, vt per Ioannem multa reuelaret Ecclesiæ.

Tandem dicitur in hoc versu, quod Christus redemit nos, *ex omni gente, tribu, & lingua, & natione*, Quid autem hæc inter se differant, nõ explicant interpretes. Sed dicendũ est quod hæc diuisio prouenit à diuisione hominũ post diluuium ex trina illa generatione filiorum Noe, de qua Genes. cap. 10. Noe habuit tres filios, Sem, Cham, & Iaphet, & ab his disseminatum est omne genus humanum super vniuersam terram, quidam autem ex his per nationes, quidam per gentes, & populos, quidam per cognationes designati sunt, sed omnes vno communi nomine linguarum. Filij Iaphet designantur per nationes. Genes. 10. 2. *Filij Iaphet: Gomer, & Magog, & Madai, & Iauan, & Thubal, &c. Ab his diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisque secundum linguam suam, & familias suas in nationibus suis*, vbi nomen *nationes* peculiariter tribuitur filijs Iaphet, neque hoc nomen repetit in cæteris filijs Noe. Filij Cham designantur per populos, vt in d. cap. 10. n. 6. *Filij autem Cham: Chus, & Mesraim, &c.* & n. 18. *Et per hos dissẽminati sunt populi Chananæorum*, & nomen *Populi* non repetit in cæteris filijs Noe. Filij Sem designã-

tur

tur per cognationes,& linguas,& gẽtes.d. cap. 10. n 31. *Isti sunt filij Sem secundum cognationes, & linguas, & regiones in gentibus suis*,& hæc nomina etiam conueniunt filijs Chã, vt patet ibi.n. 20. *Hi sunt filij Cham in cognationibus & linguis, & generationibus, terrisque, & gentibus suis*. In summa ab hoc fonte dimanat hæc diuisio gentium, populorum,linguarum, & nationum, nomen autem *tribus* peculiare est Iudæorum, & frequens est in sacra scriptura hæc diuisio,vndè apud Daniel. cap.3.n.4.*Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis*,& n.98. *Omnibus populis, gentibus, & linguis*.

Ex dictis ego existimabam posse interpretari locum Euangelij S. Lucæ cap. 21. n. 24. *Et Ierusalem calcabitur à Gentibus* : *donec impleantur tempora nationum*, vt scilicet filij,& descendentes Iaphet habitent,& possideant tabernacula,& terras filiorũ Sem,& Cham, nam benedictio Noe ad Iaphet hoc prædixit,Genes.9. 27. *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan seruus eius*. Et hoc est bonum omen Hispanis qui descendunt à Iapheto, & quinto eius filio Thubal, vt probat Rodericus Mendez Silua *en su Toblacion de España*, cap.1. noster Fr. Franc. Calancha tom.1.cap.6.n.6.& cap.7.n.2.calcabitur ergo Ierusalem àGentibus,donec veniant tempora nationum,id est,donec Rex Hispaniæ possideat eam.Constituit enim eum Dominus Regem Ierusalem.

Redemisti ergo *nos ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione*,id est,redemisti nos ex omnibus, quasi populũ singularem,sicut olim elegisti,& selegisti Israelitas, vt essent populus tuus,& amici tui, Deuter. 4. vers. 34. & 37. & nota quod licet omnes fuerint redempti per passionem Christi quantum ad sufficientiam, non tamen omnes redempti sunt quantum ad efficaciam, sed aliqui ex omni tribu,lingua,populo, & natione,vt notat Alex.de Hales.

CA-

CAPVT SEXTVM.

PRÆFATIONES AD TEXTVM,

HVnc textum vno tenore, & contextu explicabo, sed ante quam explicationem aggrediar, obseruo hanc prophetiam continere mundi chronologiam, vt dixi cap. antecedenti, & occasione libri, quem Agnus reserauit, multa nouimus ex præteritis, & futuris. Dices Apocalypsim non versari circa præterita, sed tantum circa futura, vt supra cap. 1. *Apocalypsis Iesuchristi, quæ oportet fieri cito.* Sed hoc nihil obstat, vt diximus ibi, ni mauis dicere, relatione facta ad librum aperiendum in iudicio, omnia dici futura, quatenus ibi representanda sunt. Vel agitur de præteritis secundario, vide ibi.

Aduertendum etiam est (vt recta sit computatio temporum) Christum Dominum natum fuisse exacto quarto millennario mundi, initio quinti, ita tenent Cornel. in cap. 20. Apoc. Iacob. Gordon, de serie temp. 2. p. cap. 2. Tyrinus in script. tom. 1. in Chronic. cap. 7. de sex ætat. mund. Fr. Ferdin. Camargo in Epitom. Eccles. ad finem. Demunt quinquaginta fere annos Christian. Adricom. in Chronic. Petrus Opmeerus in suo chronographico Orbis vniuersi pag. 6. Theophilus Raynaudus in Breuiar. Christianæ chronolog. Ioannes Estadius insignis Astrologus in Ephemer. P. Claudius Clemens in tabula chronolog. pag. 53. His addendi sunt Ioan. Driedus, Christianus Maceus, Abbas Vespergensis, Vbitembergenses. Ioannes Carrion. Leandrus Aluertus, Michael Ainstengerus, & alij innumerabiles. Scio multos in diuersam ire sententiam, qui putāt Christum Dominum, peracto quinto millennario natum fuisse ex vtero virginali, & hanc ipsam sententiam fouere videtur nostra Mater Ecclesia, Eusebij authoritatem secuta. Ego vero vbi primum cognoui in hanc rem expēdi Ecclesiæ consensum, malui contra horum Doctorum

sensum credere, quam authoritati Ecclesiæ contradicere. Rem tamen diligenter examinare curaui, & inueni Ecclesiam, in re ista nullam certam legem stabilire, nam in Martyrologio Romano, vbi fit computatio temporum, dicitur hac de re, tot esse sententias, quot capita.

Tertio notandum est, quod S. Ioannes ab hoc capite sexto incipit recapitulare omnia temporum sigilla, & incipit à primo sigillo, siue millennario mundi, sed præcipua pars Apocalypsis consistit in sexto, & septimo sigillo, siue millennario mundi, nam Apocalypsis propter sextũ, & septimum millennarium scripta est, agitur tamen de primis millennarijs obiter & breuiter, quatenus conducũt ad cognitionem sexti & septimi millennarij, vt Ecclesia animaduertat temporum aduentus, & vicissitudines, vt præuideat terremotum magnum qui imminet in persecutione Antichristi sub sexto sigillo, & millennario mũdi, de quo iam sunt elapsi sexcenti quinquaginta duo anni, & iam properat ad sui decursum, & exitum, & ex hoc millennario trecenti quadraginta, & octo anni supersunt, intra quos intelligo venturum esse hominem illum peccati, vigilemus, quia ex dictis, non longe distat à nobis, quoniam positus est sub sexto sigillo.

Vltimo notandum est septimum sigillũ, in cuius apertione factum est silentium in cœlo quasi media hora, non pertinere ad caput octauum Apocalypsis, sed ad caput vigesimum, vt bene probat Pannonius in cap. 7. Apoc. sect. 5. punct. 6. Inde Beda, Rupert. & Pererius apud Alcazar cap. 7. anotat. 1. existimarunt ad septimum sigillum non pertinere Angelos tubarum, de quibus d. cap. 8. & Pannonius ab Angelis tubarum inchoandum esse textum illum præsinit, hæc cum ita sint, omnia quæcumque scripta sunt de sigillo sexto in hoc capite continuanda sunt vsque ad caput vigesimum exclusiue, subducto sigillo septimo de capite octauo, in quo ponitur septimum sigillum per anticipationem, ne rumperetur ordo sigillorum.

TEX-

TEXTVS EXPENDITVR.

IN hoc textu Agnus aperit septem sigilla. In versu. 1. aperit primum sigillum, & exit equus albus cum equite habente arcum, & coronam. In versu 2. aperit secundum sigillum, & exit equus rufus cum equite habente gladium magnum. In versu. 5. aperit tertium sigillum, & exit equus niger cum equite habente stateram in manu. In versu. 7. aperit quartum sigillum, & exit equus pallidus, cui insidet mors, quem sequitur infernus. In versu. 9. aperit quintum sigillum, & prodeunt animæ Sanctorum Martyrum petentes vindictam. In versu. 12. aperit sextum sigillum, & fit ingens terremotus, Sol obscuratur, Luna vt sanguis rubescit, stellæ de cœlo cadunt, omnes homines territi in speluncas se abdunt.

INterpretes circa explicationem equorum, & equitum, magnum habuere certamen, frequentius receptum est, in his equis personas vehi, veluti Imperatores Tyrannos, vel nocentes hæreticos, & pseudo prophetas, vel astutos, & callidos hypocritas. Ego vero existimo non vehi personas in equis, sed gratiam, & innocētiam in primo equo, & in reliquis equitare vitia, luxuriam scilicet, auaritiam, & superbiam, quæ sunt tria mundi mala, S. Ioan. epist. 1. cap. 2. n. 16. *Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Cōcupiscentia oculorum est auaritia, vt docet Cornelius ibidem, cum enim sigilla præmonstrent mundi millennaria ab initio creationis, nō incommode super primum equū, innocentiam inducimus, & super tres alios, vitia collocamus, vt apparebit ex subiectis, nam & Ambrosius qui putat per sigilla, septem mundi ætates portendi, quatuor prima sigilla ad vetus testamentum refert. Fateor me magno mœrore affectum fuisse dum videbam meam opinionem circa equos & equites non fulciri aliorum interpretum iudicio, sed ab hac angustia me liberauit P. Nouarinus in præsenti, qui ex sentētia Vgon. Victor. lib. 3. Miscell. tit.

tit.29.refert,in equo albo innocentiam induci, in cæteris equis vitia,ſuperbiam ſcilicet,luxuriam,& hypocriſim,in quo tamen non conſentio,nam in pallido non equitat hypocriſis,ſed ſuperbia, vt patebit ex dicendis, & nouiſſime P.Nieremb. in ſuis epiſt.in epiſt. 1. defendit in albo equo gratiam introduci , in cæteris equis vitia , & hoc quidem indicat colorum varietas in equis,& ſignificat morum diuerſitatem,vt patet in ſylua allegor.verbo: *color*.

Hæc cum ita ſint , videmus primo mundi millennario formatum fuiſſe hominem in Gratia originali,& exiuit à manu Dei *vincens vt vinceret*,quia data fuit ei corona iuſtitiæ originalis,& datus eſt ei arcus,& ſcutum diuinæ Gratiæ, quæ attingit à fine vſque ad finem , vt dixi in ſynopſi, tunc enim in illo ſtatu equus huius mundi(quo omnes vehimur) fuit albus , nec aliquo modo contaminatus. Vel aliter & ſecundo, in primo millennario regnauit innocẽtia,& Adamus ſedit ſuper equum huius mundi,conſtitutus Rex à Deo,Geneſ.1.28. *Benedixitque illis Deus, & ait crẽſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eã, & dominiminamini.* Innocentia habet coronam, & arcum,& ſemper exit vincens,vt vincat, vtinam omnes ſuper hunc equum aſcenderemus,quia eſt equus albus, nullas habens colorum varietates,nec peccatorum maculas, immò exit vincens,vt vincat vitia,quæ ſequuntur in tribus equis poſterioribus,idem & fortius dicendum eſt de gratia. Explicitus eſt verſus primus. ibi: *Et vidi quod aperuiſſet Agnus vnum de ſeptem ſigillis ,&c. Et vidi: & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum , habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens vt vinceret.*

Super equum rufum equitat luxuria , nam hic color ſanguineus eſt,vt docet Ribera cap.1.Zachar.n.18. Luxuria in ſacris literis per ſanguinem ſignificatur, Oſeas. 3. *Sanguis ſanguinem tetigit.* Ezech.9. *Repleta eſt terra ſanguinibus.* Pſalm.50. *Libera me de ſanguinibus.* Carnales enim colore rufo,& ſanguinolẽto notari,palam eſt. ¶ Sed qua-

re

re luxuria in secundo sigillo,& millennario mundi potius, quam in cæteris millennarijs residet? Ratio quia tunc fortius inualuit, nam secundo millennario ante diluuium, filij Seth, filiarum Cain amore bacchati, & debacchati, se illicita coniunctione contaminauerunt, & ex hac coniunctione nati sunt Gigantes,nullum concubitum,nec bestialem reprobantes,vt notant Berosus,& Adricom.in chronico anno millesimo,& terra corrupta fuit,& repleta eorum iniquitate, & luxuria, constat Genes. 6. quare misit Deus gladium illum magnum vniuersalis diluuij, in quo deleuit omnem substantiam, quæ erat super terram, seruatis paucis in arca Noe, inde sublata pax de terra, nam luxuria iram Dei prouocat, mentem turbat, pacem dirimit,& omnia vastat, vnde inquit textus. *Et cum aperuisset sigillum secundum,&c. Exiuit alius equus rufus, & qui sedebat super illum, datum est ei vt sumeret pacem de terra, & vt inuicem se interficiant, & datus est ei gladius magnus.* ¶ Nota etiam ad mores, quod luxuria portat gladiū magnum,vt feriat magnos & paruos, quis enim se abscondit ab hoc gladio? Certe is qui se munit scuto gratiæ, & pœnitentiæ. Est enim gladius magnus, quo pugnat infernus, in quo multos vicit, & in æternum sepelijt. ¶ Nota denique esse Reipublicæ, & hominum societati maxime pernicioſos homines carnales, nam ille mundi cataclysmus ab hoc vitio dimanauit, vndè debent Rectores Rempublicam suam his hominibus purgare, & noxium hūc sanguinem à corpore illo mystico depellere, vt alias dicebat Consultus in l.congruit. ff.de offic. Præs. ¶ Nota tandem quod color rufus est Deo infestissimus,nam Lucifer dicitur draco rufus,vt in cap.12.n.3.& Esau rufus fuit,Genes. cap.25.n.25.

Super equum nigrum equitat auaritia,hoc patet ex hoc textu,nam in manu sedentis ponitur statera.*Et qui sedebat super illum habebat stateram in manu sua*,item ponūtur pretia rerum. *Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario,*

nario, item quia vt patet in textu ſancti clamant aduerſus hoc vitium, dicentes, *vinum & oleum ne leſeris*, & hoc magis explicat originale Græcum. *Cai to elaion cai ton oinon mi adiceſis*, id eſt, ne inique opprimas vinum, & oleum, nã verbum *adiceo*, idem eſt, quod inique opprimo, & eodem modo clamant aduerſus auaros qui augent pretia tritici, & hordei. *Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario.* Sanè ſtatera ipſa in manu ſedentis indicat ſermonem eſſe de auaritia. Oſeas 12. 7. *Chanaam in manu eius ſtatera doloſa.* quæ verba cum noſtris conſonant, ibi: *Habebat ſtateram in manu ſua*, & omnia exempla poſita in equo nigro conueniunt verbis Amos cap. 8. n. 5. *Quando tranſibit meſſis, & venundabimus merces: & Sabbatum, & aperiemus frumentum: vt imminuamus menſuram, & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas*, vide iniquam prouidentiam auaritiæ in læſione frumentorum, & in augmento pretij, recte Micheas 6. 11. *Numquid iuſtificabo ſtateram impiam, & pondera doloſa, in quibus diuites eius repleti ſunt iniquitate*, ſed addit idem Propheta. n. 15. *Tu ſeminabis, & non metes, tu calcabis oliuam, & non vngeris oleo, & muſtũ, & non bibes vinum*, quæ verba conueniunt cum vino, tritico, & oleo equi nigri. Nota quod tria exempla poſita in textu pertinent ad pondus, numerum, & menſuram, vtimur ſtatera ad ponderandum, denarijs ad numerandum, ſed vinum & oleum non conſiſtit in pondere, & numero, ſed in menſura. l. 2. §. mutui datio. ff. de reb. cred. & hæc quidem omnia ſatis indicant auaritiam, quæ verſatur circa hæc tria. ¶ Sed quare auaritia ponitur in tertio millẽnario? Ratio eſt, quia tunc potiſſimum cæpit, nam poſt diluuium tempore Phaleg Atnepotis Noe cæpit diuiſio rerum, & dominiorum, Geneſ. cap. 10. n. 25. *Natique ſunt Heber filij duo, nomen vni Phaleg, &c. eo quod in diebus eius diuiſa ſit terra*, & indies vſu exigente, & humanis neceſſitatibus, contractus inuenti ſunt, & mercatura, teſte Polydoro Virgilio lib. 3. de rer. inuent. cap. 16. tunc cæperunt

pondera

pondera, & mensuræ, nam Eutropius statim in principio primi libri tradit Sidonium pondera & mensuras inuenisse, tempore, quo Ieroboam regnauit apud Hierosolymos & Aza apud Iudæos, sed antiquiorem esse hanc inuentionē contendit idē Polidorus, & arithmeticam, & mensuras ab Abrahā accepisse Ægyptios docet Iosephus lib. 1. antiquit. ¶ Dices quare auaritia notatur colore nigro? Hoc fit propter dolos, & fraudes, quibus conuenit color niger ex Pierio lib. 28. pag. mihi 204. & Beda in præsenti, & sanè cum auaritia sit radix omnium malorum, non incommode mentis perturbatio, & cæcitas ipsi tribuitur, nauigant enim auari per obscurissimum pelagus, à quo summa cū difficultate se valent expedire. His, si placet, addendum est, auaritiam, hoc millennario, & idolatriam coluisse. Cæpit idolorum cultus cum Nino, & tertio millēnario. Auaritiam & idololatriam Apostolus affines facit, ad Colos. 3. & ad Timoth. 2. cap. 6. & ad Ephes. 5. Idololatria apud omnes colore nigro notatur, quia ex cæcitate mentis dimanat. ¶ Nota quod quando cessauerit iuge sacrificium tempore Antichristi, inualescet auaritia, & deuastabitur triticum, vinum, & oleum, Ioel cap. 1. à n. 9. Extincto Antichristo replebitur terra vino, frumēto, & oleo, Ioel cap. 2. n. 19. & 24. Oseas cap. 2 n. 22. Explicatum est tertium sigillum, ibi: *Et cum aperuisset sigillum tertium, &c, Et ecce equus niger: & qui sedebat super illum habebat staterā in manu sua. Et audiuit tanquam vocem in medio quatuor animaliū dicentium: Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario, & vinum & oleum ne læseris.*

In equo pallido equitat superbia, hoc patet, nam super equum pallidum sedet mors: *Et qui sedebat super illum nomen illi mors*, & equum istum sequitur infernus: *Et infernus sequebatur eum*, mors, & infernus sunt epitheton superbiæ, constat ex sacris literis, cap. 2. Habac. n. 5. *Et quomodo vinum potantem decipit: sic erit vir superbus, qui dilatauit quasi infernus animam suam, & ipse quasi mors.* Addit insuper

per Habacuc: *Et congregauit ad se omnes gentes, & coacernauit ad se omnes populos*, quæ verba etiam conueniunt cũ vltimis verbis equi pallidi: *Et data est illi potestas super quatuor partes terræ*, superbia equidem omnia vincere tẽtat,& interficit gladio,fame,morte, & bestijs terræ,vt patet in hoc textu: *Et data est illi potestas interficere gladio, fame, & morte, & bestijs terræ*, quod dictũ credo propter imperium Romanũ, nam Imperatores, tempore quo scribebat S.Ioannes,damnabãt ad ferrum,ad famem,ad mortem ciuilem,& ad bestias.l.eius.8.§.1.ff.de testam. *Si cui aqua & igni interdictum sit*,& inferius, *Hi vero qui ad ferrum aut ad bestias aut in metallum damnantur, &c.* Metalli pœna,sicut deportationis,erat mors ciuilis.l.verum.§.fin, ff.pro socio.l.1.§.deportatos.ff.de bonor.possess.cõtr.tab. nisi mauis dicere, superbiam falso sibi arrogare hæc quatuor mortis genera, quæ sunt iudicia Dei, Ezech. 14. 21. *Quod si quatuor iudicia mea pessima, gladium, & famem, ac bestias malas, & pestilentiam immisero in Ierusalem*, & hoc probabilius est.Rogabis,quare superbia occupat quartum millennarium? Ratio,quia tunc potissimum regnauit,& intra suos cancellos conuenerunt imperia Assyriorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum, & tunc equus huius mundi pallidus fuit propter bella, & strages, quibus homines depopulati fuerunt, maximè cum superbia mortem,& famem iuduxerit,ex quibus nascitur pallor, & antiquus codex incerto Auctore habet *Clonos* pro eo quod in originali Græco est *Chloros*, & tunc res est magis aperta,nam *Chloros* significat pallidum,*Clonos*, vero est pugna, violentia, quassatio, & vt ait idem interpres, hoc nomen est superbiæ typus,idque indicat aquila,de qua in præsenti,nam est superbiæ hieroglyphicus, quia alarum pompa altissimè reconditur,& cætera volatilia deprimit. ¶ Nota quod superbia multum vicina est inferno,& super eam sedet mors,vt patet in textu: *Et qui sedebat super illum nomen illi mors, & infernus sequebatur eum*, nam infernus, &

mors

mors æterna primùm aperuit os suum ad deuorandos dæmones superbos. Infernus est sedes superborũ, & mors ambulat super illos, vt primum perimat, deinde eos mittat in tartara, sequitur eos infernus, sic facilè deuorat. Explicatum est quartum sigillum, ibi: *Et cum aperuisset sigillum quartum, &c. Et ecce equus pallidus: & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequebatur eum, & data est illi potestas super quatuor partes terræ interficere gladio, fame, & morte, & bestijs terræ.*

Ex dictis sequitur equi vocabulum in præsenti mundũ insinuare, nam eo vehimur, & per elationẽ suam in procursu labentis temporis spumat, sic intelligo locum Gen. 49. *Fiat Dan coluber in via, cerastas in semita mordens vngulas equi*, quem locum SS. Patres de Antichristo interpretantur, qui extrema equi, id est, mundi, damnificabit. Illud etiam ex dictis sequitur, mundum his morbis febriscitare, luxuria, auaritia, & superbia, S. Ambros. lib. 4. super cap. 4. S. Lucæ. *Febris nostra auaritia est: febris nostra, luxuria est: febris nostra, ambitio est: febris nostra, iracundia est*, & hæc vitia cum Babylone peribunt, vt infra cap. 18. *Cecidit Babylon magna*, & paulò inferius *Quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes*, cum ea peribit superbia, d. cap. 18. *Væ, væ, ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis*, peribit etiam auaritia, vt patet ibidem *Et negotiatores terræ flebunt: quoniam merces eorum nemo emet amplius.* Item plagæ de quibus infra, surgunt aduersus hæc vitia, cap. 9. n. 21. *Et non egerunt pœnitentiam ab homicidijs suis neque à veneficijs suis, neque à fornicatione sua, neque à furtis suis.* ¶ Nota quod S. Ioannes in equo albo dixit: *Et vidi*, & in tribus equis sequentibus non repetit hæc verba. Virgines enim abominationes non vident.

In quinto sigillo vidit S. Ioannes altare, & subtus illud animas interfectorum propter verbum Dei, & testimoniũ quod habebant, id est, propter testimonium fidei & Euãgelij, Marc. 8. 35. & 13. 9. Hoc sigillum respondet quinto

millennario, quo, vt initio huius capitis dixi, natus est Saluator noster, cæpitque Æternum Christi Euangeliũ. Hæc non debent poni super equũ, sed super altare. Tunc enim mundus fuit ara & altare Saluatoris. In hoc sigillo vidit animas interfectorum, quia quinto mũdi millennario copiosa fuit Martyrum multitudo, sub Nerone, Diocletiano, & cæteris paganis. Vidit animas subtus altare, id est, corpora, posita anima pro corpore, vt Genes. 46. 26. Corpora Martyrum vidit subtus altare, id est, Ecclesiam, vel hoc dicit, quia super reliquias Martyrum altaria extruebantur. Hæc beatissima corpora petebant vindictam: *Et clamabant voce magna, dicentes: vsque quo Domine, non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de ijs qui habitant in terra*, nec credenda sunt clamare, tanquam vindictæ cupida, sed ad similitudinem sanguinis Abel, qui clamat de terra; vel clamant aduersus Babylonem, & peccata, aduersus quæ petunt vindictam, vt infra cap. 19. n. 2. *Et vindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius*, id est, Babylonis. Tandem dicit, quod datæ sunt Martyribus stolæ albæ: *Et datæ sunt illis stolæ albæ*, ad solatium, in signum resurrectionis corporum, stolæ secundæ corporum, nam stolas animarum iam habebant in fruitione gloriæ, vt dixi supra cap. 3. n. 18.

In apertione sexti sigilli inquit textus: *Et vidi cum aperuisset sigillum sextum; & ecce terremotus magnus factus est, & Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus: & Luna tota facta est sicut sanguis: & Stellæ de cœlo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cum à uento magno mouentur: & cœlum recessit sicut liber inuolutus: & omnis mons, & insulæ de locis suis motæ sunt, & fortes abscouderunt se in speluncis & in petris montium. Et dicũt montibus & petris: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum & ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum: & quis poterit stare?* Primo admonendi sumus, magnam esse controuersiam, an hoc sextum sigillum contineat extremi

tremi iudicij diem, vel nouissimā Antichristi persecutionem. Frequentius receptum est, hæc signa esse de iudicio extremo, iuxta illud Matth. 24. 29. *Sol obscurabitur, & Luna non dabit semen suum, & Stellæ cadent de cœlo.* Ioel. 2. 31. *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem.* Amos. 8. 9. *Occidet Sol in meridie &c.* Verius tamen est, sexto sigillo includi vltimā Ecclesiæ persecutionem sub Antichristo, cum quo veniet terremotus magnus, qui aduersus cuncta consurget, lux Ecclesiæ obscurabitur, cessabit sacrificium, mundusque omni malitia contaminabitur, sancti conterentur, multiq; peribunt sub tanto Tyranno. Hāc sententiam tuetur S. Thom. in præsenti, quam ego sequentibus fundamentis probo. Primo quia sensus literalis Apocalypsis non sumitur à literali grammatica, sed à rebus quæ per imagines representantur, ergo id quod dicitur de obscuritate Solis & Lunæ, casuque stellarum, non est ad literam examinandum, neque ad vltimum iudicium referendum. Secundo quia series & acoluthia huius prophetiæ non permittunt præfatam iudicij interpretationem sub sexto sigillo, nam restat septimum pacis Ecclesiæ, de quo infra cap. 8. & cap. 20. Tertio quia sexto sigillo respondet signum illud mulieris amictæ Sole, infra cap. 12. nam visiones sunt geminatæ in Apocalypsi, vt videbimus cap. 8. & cap. 10. Atqui in cap. 12. agitur de prælio Ecclesiæ, draconis, & Antichristi, ergo in præsenti de eodem prælio, & persecutione agitur.

His ita positis, de quibus non est amplius dubitandum, sensus sexti sigilli, talis est. *Cum aperuisset sigillum sextum, terremotus magnus factus est.* Id est, sub sexto millennario vniuersa terra, & totus Orbis mouebitur propter immanitatem persecutionis Antichristi, qui intendet mutare tempora, & leges, sacramenta, & sacrificia, tunc templa funditus euertentur, & tempestas aduersus cuncta consurget, omnemque religionem delere conabitur. ¶ *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus.* Sol est Christus. Ma

lach. 4. *Crietur Sol iustitiæ*, sed tunc in membris suis denigratus, videbitur splendore diuinitatis carere, quia sacrificijs non clarebit. ¶ *Luna facta est sicut sanguis*. Ecclesia Luna est, Cantic. 6. *Pulchra vt Luna*, accipit enim lumen à Sole Christo, facta est sanguis ex persecutione Antichristi, quia congregatio fidelium multo sanguine purpurabitur, multoque sanguine rubebit. ¶ *Et stellæ de cœlo ceciderunt super terram sicut ficus emittit grossos suos cum à vento magno mouentur*. Stellæ sunt Christiani in lege, Daniel. 12. Igitur multi fideles vento persecutionis concussi, & quassati in fidei confessione deficient, & à cœlesti, & spirituali candore cadent, terrenis adhærentes, & Antichristo, qui tanquam ventus magnus, & vrens eos depellet à salutifera Ecclesiæ ficu, & rectè eos appellat grossos, qui sunt ficus primi temporis & immaturæ, quæ facilè vento defluunt. Ierem. 29. *Ponam eos quasi ficus malas quæ comedi nõ possunt*. Hanc deiectionem stellarum sub Antichristo præuidit Daniel. 8. *Et magnificatum est vsque ad fortitudinem cœli: & deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas*, non tamen omnes deficient, sed solum tertia pars, vt infra. cap. 12. n. 4. *Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram*, quæ verba cum hoc textu concordant. ¶ *Et cœlum recessit sicut liber inuolutus*. Cœlũ; id est, Ecclesia, vt infra cap. 11. n. 19. & cap. 14. n. 17. Ecclesia tunc recedet tanquam liber inuolutus, ita vt nulla doctrinæ spes supereſſe videatur. Recedet ergo & fugiet in solitudinem, vt infra cap. 12. n. 6. *Et mulier fugit in solitudinẽ*, tunc enim veritas, & quidquid cœleste est, abscondetur. Recedet igitur tanquam liber inuolutus in quo nihil legi potest, tunc enim erit fames doctrinæ, Amos. 8. 11. *Emittã famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi Verbum Domini*. Nota adeò grauem esse in conspectu Dei caritatem annonæ spiritualis, & euangelicæ doctrinæ, vt eius comparatione, fames & sitis pro nihilo reputentur. ¶ *Et omnis mons & insulæ de locis suis motæ sunt*

Epis-

Episcopi, Ecclesiæ montes sunt, qui cæteris, authoritate, & dignitate, tanquam alta cacumina præstant. Insulæ sunt Prædicatores, & viri spirituales, qui in medio tribulationũ positi sunt, sicut insulæ in medio aquarum, & tanquam signum ad sagittam, de quibus Esai. cap. 60. n. 8. *Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas. Me enim insulæ expectant.* Egerat enim prius de Ecclesia, & Euangelio, & dixerat quod recesserat tanquam liber inuolutus, vndè nunc, dum dicit, montes & insulas motas esse, satis indicat pellendos esse Episcopos, Prædicatores, & viros Religiosos. Tandem dicit, magnos, & paruos in speluncis abscondendos. *Et dicunt montibus & petris*, id est, Apostolis, & Sanctis, quĩ per montes significantur, cap. fundamẽta de elect. in 6. *Cadite super nos*, id est, vestro suffragio liberate nos. *Ab ira Dei & Agni*, id est, à Christo Deo & homine. *Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum*, vel vt est in originali Greco. *Quoniam venit dies magnus iræ ipsius*, id est, quoniam hæc signa demonstrant, iuxta esse diem iudicij, Sophon. cap. 1. à n. 14. Esai. 2. Ezech. 7. *Et quis poterit stare*, nisi vos sancti & amici Dei suffragemini, pro eo quod in præsenti est: *stare*, Ioel habet sustinere cap. 2. num. 11.

Restat videndum, quo pacto necti debeat sextum sigillum cum muliere illa amicta Sole, de qua cap. 12. Et vt rem in pauca contrahamus, omnia sunt æqualia. Hìc Sol niger aparet tanquam saccus cilicinus, ibi mulier est amicta Sole, id est, sacco solis amicta: *Mulier amicta Sole.* Hìc Luna facta est sicut sanguis, ibi subiecta est & oppressa: *Et Luna sub pedibus eius*, Hìc stellæ cadũt de cœlo super terram, ibi cauda draconis trahit tertiã partẽ stellarũ in terram: *Et cauda eius trahebat tertiã partem stellarũ cœli, & misit eas in terrã.* Hìc cœlũ, id est, Ecclesia recedit, ibi mulier id est, Ecclesia fugit in solitudinem: *Et mulier fugit in solitudinem*, Hìc factus est terremotus magnus aduersus Ecclesiam, ibi draco mittit aquam tanquam flumen post mu-

mulierem: *Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen.* Alia multa expendi possunt ad probandam hanc identitatem, quæ explicantur infra cap. 7. qui textus continuatur cum sigillo sexto, vt dicemus ibi in exordio.

CAPVT SEPTIMVM.

CONTINVATIO.

Hic textus pertinet ad sextum sigillum, & est cum eo continuandus, & referendus ad caput duodecimum Apoc. vt dixi capite antecedenti in fine, nam cum vltima Ecclesiæ persecutio non solum per Antichristum excitanda sit, sed etiam occultè per draconem cap. 12. n. 12. Apoc. Væ terræ, & mari quia descendit diabolus ad vos, *ideo in præsenti agitur de prælio dæmonis, cui se obijcit S. Michael, vt constat ex textu:* Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis, habentem signum Dei viui, *& ibi:* Dicens: Nolite nocere terræ & mari, *quæ verba concordant cum d. cap. 12.* Væ terræ & mari, *& de hoc prælio agitur in d. cap. 12.* Et factum est prælium magnum in cœlo, Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone.

TEXTVS.

N. 1. Post hæc vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ tenentes quatuor ventos terræ ne flarent super terram, neque super mare, neq; in vllam arborem

HI quatuor Angeli sunt dæmones, ita S. Anselmus, Ricard. Rupert. Hug. & Ioach. nam & nomen Angelorũ malos Angelos comprehendit, vt infra cap. 12. n. 7. *Et draco*

draco pugnabat, & Angeli eius. Matth. 25. *Qui paratus est diabolo & Angelis eius* 2. ad Cor, 12. *Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet*, & 1. Cor. 6. 3. Et probatur quod sint dæmones, nam in præsenti ventos terræ tenebāt non ex imperio & præscripto Dei, sed præter eius voluntatem, nam illis dicitur infra. *Nolite nocere terræ & mari.* Illud tamen obstare videtur ne dæmones dicantur, quod Angelus ascendens ab ortu solis dicit. *Nolite nocere, quoad vsque signemus seruos Dei nostri*, vbi hos Angelos comites sibi adiungit ad signandos seruos Dei. Hoc tamen nihil obstat, nam verbum *signemus* non ad quatuor Angelos, sed ad alios Angelos sancti Michaelis administros referendum est, vt videbimus inferius.

Stantes super quatuor angulos terræ, id est, super quatuor mundi partes, vt infra cap. 20. nu. 7. *Et seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ.* ¶ Hi dæmones tenebant quatuor ventos terræ. *Tenentes quatuor ventos terræ ne flarent super terram*, quibus verbis satis indicat ingentem illā calamitatem, vt in Daniel. cap. 7. *Quatuor venti cœli pugnabant in mari magno*, id est, subsolanus ab ortu, Zephyrus ab occasu, Auster à meridie, Aquilo à Sepēttrione, de quibus loqui videtur Zachar. cap. 2. nu. 1. *In quatuor ventos cœli dispersi vos*, & n. 5. *Isti sunt quatuor venti cœli, qui egrediuntur, vt stent coram dominatore omnis terræ.* Vel *tenentes quatuor ventos terræ*, id est, quatuor Euangelia, Psalm. 134. *Qui producit ventos de thesauris suis*, vndè & prædicatores ventos appellamus, Psal. 103. *Qui ambulat super pennas vētorum*, tunc enim prædicatores arcebuntur à Diuini Verbi promulgatione. ¶ *Tenentes quatuor ventos*, id est, intentantes tenere, vt explicant Cæsar. Riber. & Perer.

Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis habentem signum Dei viui, N. 2.

& cla-

& clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari.

Rectè Pererius, Ribera, & Cornelius censuere hunc verum fuisse Angelum, cum descendat ab ortu solis. Hic Angelus est Princeps Angelorum Michael, vt patet infra cap. 12. n. 7. *Et factum est prælium magnum in cœlo Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone*, iam enim adnotaui principio huius capitis, & fine antecedentis, textum istum pertinere ad caput duodecimũ. In hac vltima persecutione S. Michael opem feret Ecclesiæ, vt præuidit Daniel. cap. 12, n. 1. *In tempore autem illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filijs populi tui, & veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cæperunt vsque ad tempus illud.* Dicitur S. Michael ab ortu solis ascendere, id est habere originem à cœlo, & cõscendere ab ortu solis propter Angelorum principatum. Habet signum Dei viui, non quòd habeat diuinitatem, sed quod habeat signum signatorium, vel vt est in originali Græco *sphragida*, sigillũ Dei viui, id est Christi Domini. Est S. Michael signifer Dei, qui signat electos, & tempore Antichristi multos signabit ad martyrium. Hic Angelus apud Ezech. 9. vir indutus lineis describitur, & dicitur ei quod obsignet frontes virorum.

N. 3. Dicens, Nolite nocere terræ & mari, quoad vsque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.

Andreas Cæsar. existimat hanc signationem, & sigillationem futuram esse sensibilem, & visibilem tempore Antichristi, vt eo modo catholici secernantur ab infidelibus & Antichristianis. Quale autem futurum sit signum, quo

Christi

Christi milites signabuntur, controuersum est. Quidam non immeritò existimauerunt, signandos esse sanctissimo Crucis signaculo, & ad hoc aliudit Esdras lib.4. cap.2. n. 38. *Videte numerum signatorum in conuiuio Domini.* Hoc signo fideles promptiores erunt ad confitendum Crucem Saluatoris, ad martyria perferenda, & ad terrendos Antichristum & dæmones, nam cum viderint hoc signum, cõtremiscent; qui enim arma non timent, nec aurea capitolia, Crucem reformidant. Hoc est signum *Thau* super frõtes virorum gementium, de quo Ezech. cap.9.n.4. Sed licet hæc optime dicta videantur, credo tamen quod hoc signum erit nomen Æterni Patris, & Christi Domini, scriptum in frontibus, vt infra cap.14.n.1. *Habentes nomen eius* (id est Agni) *& nomen Patris eius scriptum in frontibus*, id que euidentius comprobatur ex numero signatorum, nam vtroque loco est numerus centum quadraginta quatuor millium, quoniam in præsenti.n.4. dicitur. *Et audiui numerum signatorũ centũ quadraginta millia signati*, & in d. cap 14. *Et cum eo centũ quadraginta quatuor millia habẽtes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus.* Item nota verbum illud: *signemus*: quod clare demonstat, sanctum Michaelem in hac signatione alios habere administros.

Et audiui numerum signatorum, centũ quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel. Ex tribu Iuda duodecim millia signati, &c. N. 4.

Communis sententia tenet sub his signatis includi numerum omnium Sanctorum, sed hæc opinio ex prædictis stare non potest, nam in præsenti agitur de signandis tempore Antichristi, vt bene obseruarunt Cornelius & Tyrinus. Nicolaus de Lyra, & Ioachimus Abbas ad Martyres referunt. Quare dicendum est hanc turbam magnã,

collectam ex omni tribu, gente, & populo, esse multitudinem Martyrum sub Antichristo interficiendorum. Probatur primo, nam infra n. 14. hi signati dicuntur venisse de magna tribulatione, & in originali Græco duplex est articulus, *Ex illa magna tribulatione*, illa scilicet, de qua Christus Matth. 24. *Erit tunc tribulatio magna* Secundo probatur quia hi signati palmas habent in manibus, vt infra, n. 9 Sanè per palmas martyria significantur, est enim palma instar gladij, & martyrij symbolum. Tertio quia infra. n. 14. dicitur signatos dealbasse stolas suas in sanguine Agni, quæ verba sic versat D. August. serm. 11, de Sanct. *Stolas Martyres in sanguine Agni lauerunt, dum membra sua, quæ oculis insipientium visa sunt pœnarum squallore fædari: sic potius fuso pro Christo sanguine ab omnibus mundauere contagijs*, & lib. 2. de fide ad Cathec. cap. 6. *In isto sanguine SS. Martyres stolas suas lauerunt, candidas eas fecerunt.* Quarto quia textus iste, vt sæpe adnotaui, refertur ad textum in cap. 12, infra, vbi fit mentio horum Sanctorum, & similiter dicitur eos vicisse bestiam in sanguine Agni, & vitam pro eo non dilexisse, ibi. n. 11. *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, & propter verbum testimonij sui, & non dilexerunt animas suas vsque ad mortem.* Hic est ille filius, id est, populus qui raptus est ad thronum Dei in d. cap. 12. n. 5. nam etiam in præsenti n. 15. dicitur esse ante thronũ Dei. Hi signati regent gentes in virga ferrea, vt infra cap. 12. n. 5. & cap. 19. n. 14. Quinto, nam dicitur infra nu. 16. quod hi signati in gloria amplius non sitient, neque esurient, & quod absterget Dominus omnem lachrymam ab oculis eorum, quibus verbis demonstrat ingentem illam tribulationem, quam habebunt sub Antichristo.

Affirmat S. Ioannes se audiuisse numerum signatorum, eumque fuisse centum quadraginta quatuor millium signatorum ex omni tribu filiorum Israel. Vt hæc melius percipiantur sciendum est sub Antichristo restituendum esse populum Israel, & ad Dominum conuertendum prædica-

dicatione Æliæ, Malach. cap. 4. n. 5. *Ecce ego mittam vobis Heliam Prophetam & conuertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*, & Eccleſiaſt. cap. 48. n. 9 vbi dicitur venturus reſtituere tribus Iacob, & expreſſius in Euāg. S. Matth. cap. 17. *Helias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia*, idque apud Danielem expreſſum eſt cap, 12. *Et in tempore illo ſaluabitur populus, tuus omnis, qui inuentus fuerit ſcriptus in libro*, & Eſai. cap. 11. n. 11. *Et erit in die illa adijciet Dominus ſecundo manum ſuam ad poſſidendum reſiduum populi ſui*, & n. 12. *Et leuabit ſignum in nationes, & congregauit profugos Iſrael, & diſperſos Iuda colliget a quatuor plagis terræ*, vbi ponderandum eſt verbum illud *ſignum*, noſtræ materiæ maxime conſentaneum, & cap. 49. n. 22. *Ecce leuo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum. Et afferent filios tuos in vlnis & filias tuas ſuper humeros portabunt*, quo loco loquitur de populo Iſrael de quo loquutus fuerat. n. 6. *Parum eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob & fœces Iſrael conuertendas*, & Deuteron. cap. 4. n. 30. Hos filios pariet Eccleſia ad cultum & Religionem Catholicam, vt infra cap. 12. nam invtero deſiderij ſui cæpit eos concipere donec pariat, iuxta illud Apoſtoli ad Galat. *Filioli, quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis*, & D. Iacob in ſua epiſt. cap. 1. n. 18. *Voluntarie genuit nos verbo veritatis*. Hos filios, gentem ſcilicet Iudæorum ſpiritualiter concipiet, & pariet Eccleſia, vt eos lucrificiat, & pariat ſponſo ſuo Chriſto, vndè idem Eſai. d. cap. 49. nu. 15. ſic de hoc partu Eccleſiæ loquitur. *Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum vt nō miſereatur filio vteri ſui*. Tandem de hac conuerſione Iudæorum nos admonet Apoſtolus ad Roman. cap. 11. n. 25. *Nolo vos ignorare fratres myſterium hoc, quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret, ſicut ſcriptum eſt: veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob*, qua in re videndus D. Aug. lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 29. & D. Chryſoſt. hom. 58. in Matth & Bened. Perer. lib. 15. in Dan.

His ita positis inuestigare oportet an ex populo Israel centum quatuor millia signati tantum saluandi sint ? id enim innuere videntur verba nostri textus ibi: *Et audiui numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati*, præcipuè propter ea verba, quæ sequuntur, *ex omni tribu filiorum Israel*. Dices si tantum martyres eius temporis signandi sunt, non est exiguus numerus centum quadraginta quatuor millium. Sed credo multo plures ex populo Israel signandos esse ad martyrium, nam postea n. 9. vidit S. Ioannes magnam turbam signatorum ex ipsis tribubus *Post hæc vidi turbam magnam quã dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus*, quæ verba suspectam reddunt superiorem clausulam, *ex omni tribu filiorum Israel*. Respondeo numerum antecedentem, centum quadraginta millium, non esse realem, sed figuralem, quattenus prædictus numerus colligitur ex duodecim millibus per duodenarium in se ductis, nam duodecim millia duodecies repetita, faciunt numerum centum quadraginta quatuor millium, & hoc propter duodecim tribus Israel, ex quibus duodecim iudices, & seniores sedebunt in iudicio, nescio autem an ex his vltimis martyribus eligẽdi sint duodecim seniores SS. Apostolorum coniudices, scio tamen quod nomina duodecim tribuum scripta sint ad iudicandum, vt dixi supra cap. 4. n. 4.

Vel potest dici, dupliciter poni in præsenti filios Israel, sub numero tribuum sigillatim, & sub turba magna indefinite, ad significandos Virgines simul & Martyres, qui dicuntur primitiæ Dei & Agni, & ad significandos cæteros Martyres non Virgines, qui dicuntur fæces Israel, vt sup. cap. 49. Esai. n. 6. ibi: *Ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas*. Ex quibus patet, hæc centum quadraginta quatuor millia, eosdes illos esse, de quibus locutus est S. Ioannes infra cap. 14. vt docuit S. Hieron. lib. 1. aduersus Iouinianum, qui quidem etiam sunt signati, vt sequantur Agnum in passione, idque eo loco euidentius apparebit.

parebit. Vel ponitur determinatus numerus centum quadraginta quatuor milliũ propter duodecim tribus, demũ ponitur indefinite ſub turba magna, ne intelligeremus ſolum illos determinate numeratos ſignandos eſſe, nec quia dicat centum illa quadraginta quatuor millia eſſe ex omni tribu, excludit alios ex tribubus ſignandos eſſe.

Hìc quæri ſolet cur omittatur Tribus Ephraim, de qua mentio fit Ezech. cap. 48. Cur item omittatur Tribus Dã, de qua mentio fit Geneſ. cap. 49 & Deuteronom. cap. 33. Cur item Tribus Manaſſes non connumerata à Iacob. d. cap. 49. Geneſ. referatur in præſenti inter cæteras tribus filiorum Iſrael? His ſic occurritur. Tribus Ephraim in præſenti omiſſa, non intelligitur prætermiſſa, ſed nomine Tribus Ioſeph deſignata, & numerata, ita Aretas & Maluenda lib. 2. de Antichriſto cap. 14. Tribus Dan præterita eſt in deteſtationem Antichriſti, qui ex hac tribu naſciturus eſt, hæc eſt Sanctorum Patrum vna vox ex Maluenda vbi ſupra, & Franciſco de Ieſus in præſenti. Ad vltimam difficultatem de Tribu Manaſſes, dicendũ eſt Iacob, Ephraim & Manaſſem Ioſeph filios, Tribuum principes, capitaque conſtituiſſe, ſibi que adoptione optaſſe, quos velle ſibi adaſcribi filios, non ſecus ac Ruben, & Simeon, reputarique ſibi proprios aſſeuerat cap. 48. Geneſ. vnde in numero tribuum computantur, vt fit in præſenti, & in d. cap. 48. Ezechiel. Omnia explicata ſunt vſque ad num. 10.

Et clamabant voce magna, dicentes: ſalus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum & Agno. N. 10.

Martyres hi ſignati palmas habebant in manu, vt dicitur verſu antecedenti, quod quidem, vt dixi, ſignificat victoriam in agone tenuiſſe, & obtinuiſſe triumphum in certamine, eſt enim palma inſtar gladij, ſed eadem triumphi,

phi, & salutis, ac incolumitatis symbolum; quia vero Martyres palmas consequuntur in virtute Dei, & Christi, ideò pleno ore fatentur, *Salus Deo nostro, & Agno*, id est, nostra victoria, triumphus, fœlicitas, vitæ æternitas, salutis galea, malorum omnium relegatio, famis, fitis, æstus, & lachrymarum carentia, de qua infra n. 16. Deo & Christo attribuantur, vndè D. Aug. serm. 11. de Sanctis, *Magna voce salutem Deo decantant, quia magna gratiarum actione recolunt, non sua se virtute, sed ipso auxiliante superasse certamina*, alludit ad locum Esaiæ cap. 46. n. 13. *Dabo in Sion salutem, & Israeli gloriam meam.* Vera salus est Christus, Matth. 20 & Esai. 56. *Prope est salus mea*, & cap. 46. n. 13. *Et salus mea non morabitur.*

Quæ restant ex hoc capite pleraq; explicata sunt præter illa verba: *Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, &c.* quæ concordant cum cap. 5. n. 11. Apoc. *Et vidi & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum.* In iudicio enim in circuitu sedentis in throno astabunt Angeli, Dan. 7. 10. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Omnes autem dicebant, *Amen*, id est, salus sit Deo nostro, item benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo, quæ sunt septem cornua Agni, vt supra cap. 5. n. 6. vbi pro claritate ponitur diuinitas, & gloria pro gratiarum actione, in vtroque tamen loco eamdem salutationem Angeli decantant. ¶ Illud tandem ex hoc capite explicandum restat: *Et respondit vnus de senioribus, & dixit mihi.* Hic senior est S. Petrus, qui iam cœperat Ioannem alloqui supra cap. 5. n. 5. *Et vnus de senioribus dixit mihi*, quæ verba ferè concordant. Pro hac sententia est Lyra. Sed dices, nihil interrogauerat S. Ioannes, quomodo dicitur *Respondit*? Haymo & Ansbertus dicũt esse hebraismũ, *respondere* pro *loqui*, vel *dicere*. Vndè *vnus de senioribus respondit*, id est, dixit, vt Matth. 11. 25. *Respondens Iesus dixit*, & cap. 28. *Respondens*

autem

autem Angelus dixit mulieribus. Vel *respondit*, id est, desiderio Ioannis satisfecit.

CAPVT OCTAVVM.

CONTINVATIO.

MIra sunt quæ in huius capitis continuatione referunt Intepretes, cogitantes nescio quid circa prædicationem, & ministros Euangelicos sub Angelis tubarum, & sanè in tota Apocalypsi nullus est locus implicatior, qui omnes ferè Doctores in varias coniecit angustias. Dicendum tamen est in hoc capite. & sequenti agi de septem plagis nouissimis aduersus Babylonẽ & Antichristianos, quibus durissima supplicia per Angelos tubarum Dominus inferet, & est rectissima antecedentium, & sequentium series, nam supra cap. 6. in fine, & cap. 17. prælium magnum surgit contra Ecclesiam, & Catholicos, nunc vero in hoc capite, reprobis Dominus per Angelos supplicia infert, sicut olim per illos Angelos qui ad excitandas Sodomorum Vrbes venerunt, Abrahæque apparuerunt, Genes. 19. & hæ plagæ respondent plagis Ægypti, vt obseruat antiquus interpres apud Alcazar, idque ex dicendis euidentius apparebit. In his autem plagis reproborum regna perimentur, vt sola lex Christi perseueret.

TEXTVS.

Et cum aperuisset sigillum septimum factum est silentium in cœlo quasi media hora. N. 1.

MVltiforme hoc silentiũ varias ab interpretibus hausit interpretationes. Veritati magis accessere qui existimauerunt per hoc silentium significari ingentem admirationem Cœlitum omnium, qui ob suppliciorum, plagarumque

rumque nouitatem, magnitudinem, & terrorem obstupe facti, quasi media hora conticuerunt, & hoc sensu dicitur de Alexandro, quod siluit terra in conspectu eius, 1. Machab. 1. & Esai. 52, sic de Christo loquitur. *Iste asperget gẽtes multas: super ipsum continebunt Reges os suum.* Sed verius est, hoc silentium esse de sigillo septimo, quasi diceret. *Et cum aperuisset sigillum septimum factum est silentium in cœlo quasi media hora de sigillo septimo*, nam per hanc dimidiam horam occultabatur Ioanni materia sigilli aperti, & prius vidit Angelos tubarum, & sequentes imagines vsque ad caput decimum nonum, idque mihi apertissimum est, nã in præsenti nihil vidit in apertura huius septimi sigilli, cũ in apertura antecedentium sigillorum multa vidisset, videlicet, equos, altare, Solem obscuratum, & alia multa, in hac tamen apertura nihil aliud, quam silentium refert, silentium de sigillo septimo, vndè laudandi sunt hi qui existimauerunt septimum sigillum non pertinere ad hoc caput, & multo magis laudandus est Pannonius, qui septimũ sigillum constituit in cap. 20. Apoc. rem enim sic explicat cap. 7. sect. 5. punct. 6. *Silentium hoc quasi mediæ horæ, significat pacem, quæ post mortem Antichristi obueniet vniuerso Orbi infra capite vigesimo*, cum venerit Ecclesiæ pax extincto Antichristo Deus ponet omni peccatori silentium, Amos 8. *Multi morientur in omni loco proijcietur silentium.* Ponitur autem in hoc capite per anticipationem septimum sigillum ne rumpatur ordo sigillorum, sed eius sedes est in cap. 20. & hic textus incipit ab Angelis tubarum. Vide quæ dixi cap. 6. in præfationibus.

N. 2. Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, & datæ sunt illis septem tubæ,

Rectè Andreas, Aretas, Ribera, & Cornelius putant hosce Angelos esse septem illos Primarios Angelos, diuinæ iustitiæ

iustitiæ Administros, per quos Deus has plagas in Antichristianos immittet, id que mihi compertum est, nam hæc verba *stantes in conspectu Dei*, manifestissimè indicãt sermonẽ esse de septem Angelis primarijs, vt supra cap. 1.n. 4. *Et à septem Spiritibus qui in conspectu throni eius sunt.* Hi sunt septem oculi qui mittuntur in omnem terram supra cap.5.n. 6. & infra n.8. vnus ex his missus est in mare. Hi sunt qui accipiunt phialas iræ Dei, & inferunt septem plagas nouissimas infra cap.15. *Angelos septem habentes septem plagas nouissimas*,& inferius *Dedit septem Angelis septem phialas aureas plenas iracundiæ Dei.* Hi præcincti circa pectora zonis aureis,& vestiti lapide mundo,& cãdido phialas effundunt ibidem. Quare admonendi sumus notoriam hysterologiam versari inter nostrum textum,& capita 15. & 16. Apoc., nam Angeli tubarum ijdem sunt Angeli phialarum, & hoc agunt tubæ quod phialæ.

Pergamus explicare omnia,& videbimus vtriusque rei similitudinem, & identitatem. Hìc dantur tubæ Angelis, ibi phialæ. *Dedit septem Angelis septem phialas.* In hoc captite n. 7. prima plaga verberat terram, in cap. 16. n. 2. prima phiala effusa est in terram *Effudit phialam suam in terram.* In præsenti n. 8. secunda tuba percutit mare,& factum est sanguis, in cap. 16. n. 3. secunda phiala missa est in mare,& factum est sanguis quasi mortui. *Secundus Angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tanquam mortui.* In hoc textu. n, 10. tertia tuba percellit fontes, & flumina,& versa sunt in sanguinem in cap. 16. n,4. tertia phiala funditur in flumina & fontes aquarũ, & facta sunt sanguis. *Et tertius effudit phialam suam super flumina, & super fontes aquarum, & factus est sanguis.* Hìc n. 12. quarta tuba solem lædit, ibi.n 8. quarta phiala in solem effunditur. *Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem.* In cap. 9. quinta tuba obscurat solem & aerem, & cap. 16. n. 10. in quinta phiala regnum reproborum redditur tenebrosum. *Et quintus Angelus effudit phialam suã*

super

ſuper ſedem beſtiæ: & factũ eſt regnũ eius tenebroſum In cap. 9 ſexta tuba ſoluit quatuor dæmones de Euphrate, & in cap. 16. ſexta phiala ſiccat Euphratem, vt veniant Reges ab ortu ſolis. *Et ſextus Angelus effudit phialam ſuam in flumen illud magnum Euphratem: & ſiccauit aquam eius, vt præpararetur via regibus ab ortu ſolis.* Hi reges ſunt Archidæmones qui præſunt alijs dæmonibus, vt infra cap. 9 n. 11. *Et habebant ſuper ſe Regem Angelum abyſſi.* Tandem ſeptima tuba excitat fulgura, voces, terremotus, & grandinem magnam infra cap. 11. n. 15. & hæc omnia facit ſeptima phiala in cap. 16. n. 17. omniaque adeò æqualia ſunt, vt non liceat de hac re amplius dubitare.

Ex dictis conſtat viſiones, & imagines in hac Apocalypſi eſſe duplicatas multis in locis, vt ſupra dixi cap. 6. in fine, cuius rei cauſa fuit, quod S. Ioannes volebat ſcribere ſtatim ac locuta ſunt ſeptẽ tonitrua, vt infra cap. 10. n. 4. *Et cum locuta fuiſſent ſeptem tonitrua voces ſuas, ego ſcripturus erã,* volebat itaque tunc ſcribere interpretationem myſteriorum, quam perceperat in loquela tonitruorum, ſed prohibitus eſt palàm ſcribere, ſed ſolũ per ſigna, & notas, vt patet d. cap. 10. *Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua & noli ea ſcribere,* ideſt, explicare, vnde & iterum eaſdem viſiones, per ſigna repettere iubetur, & antiquus interpres ad hanc interpretationem retorquet illa verba *Oportet te iterum prophetare gentibus.*

N. 3. Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum: & data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus ſanctorum omnium, &c.

Hic Angelus eſt Angelus altaris præpoſitus à Deo ad offerenda ſacrificia, & orationes noſtras. Hic dicitur cuſtos Angelus altaris & templi ad oblationem peculiariter

à Deo

à Deo deputatus, de quo legimus in Canone Missæ: *Supplices te rogamus omnipotens Deus iube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in sublime altare tuum in conspectu diuinæ Maiestatis tuæ*, quæ verba consonant cum verbis huius textus: *Vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli corã Deo.* Notorius est casus ille Abbatis Leontij, qui vidit Angelum astantem altari, à quo audiuit: *Ex quo sanctificatum est altare istud, ego iugiter illi astare iussus sum*, vt habetur in Prato Spirituali apud Ioan. Mosch. cap. 4. Hic Angelus habet potestatem supra ignem & incensa, vt infra cap. 14. n. 18. *Et alius Angelus exiuit de altari qui habebat potestatem supra ignem*, & ideò implet thuribulum igne altaris, & mittit in terram, vt explicamus vers. seq.

Stetit ante altare. Per hoc altare frequentius Doctores accipiunt Christum Dominum, credo tamẽ per hoc altare aureum, Ecclesiam figurari, vt benè prodiderunt Beda, Primasius, & Haymo, pro quorum sententia ego considero, Ecclesiam in hac Apocalypsi modò per candelabra aurea significari, vt cap. 1. n. 12. modò per altare aureum, vt hic, & est sinecdoche, quia ponitur pars pro toto. Olim Moyses duo altaria in tabernaculo constituit, alterum foris in atrio, ære obtectum, alterum intus ante velum, auro abductum, quod aureum dicebatur. In æreo sacrificia cremabantur. In aureo ponebatur sanguis & thymiama. Per hæc altaria, templum Iudaicum, & Ecclesiam Catholicam significari Haymo peritissimè obseruauit.

Et data sunt incensa multa, incensa sunt ignitæ sanctorum orationes, quas fideles offerunt Deo per Angelum altaris, & ideo dicit data esse Angelo incensa multa, quod postea explicat. *Vt daret de orationibus sanctorum omnium*, idest, vt eas orationes Deo representaret. Est enim oratio, optimum odoramentum, Deo miruminmodum

delectabile, vt supra cap. 5. n. 8. *Habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum*, & psalm. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum*, Dicit autem *incensa multa*, quia gratia Saluatoris nostri, & merita passionis eius multitudinem Sanctorum, & orationis abundantiam promeruit. Nota quod Angeli offerunt orationes nostras, Tob. 12. de S. Raphaele legimus: *Quando orabas cum lachrymis &c. ego obtuli orationem tuam Domino.* Diligunt enim homines supernæ Potestates, & pro his qui hæreditatem capiunt salutis, frequentissime deprecantur.

N. 5. Et accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terremotus magnus.

Difficilis est cohærentia huius versiculi cum antecedẽtibus, & cum plagis quæ sequuntur. Sed iam intelligo mysterium, Angelus Custos altaris, nouissimis illis temporibus, cum cessauerit iuge sacrificium, clamores, & orationes Sanctorum deferet coram Deò, vt supra dixit: *Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo*, & clamauit aduersus Antichristianos, vt infra cap. 14. n. 18. *Et alius Angelus exiuit de altari qui habebat potestatem supra ignem: & clamauit voce &c. Dicens, Mitte falcem acutam & vindemia botros*, tunc egredietur ira à Domino, & septem Angeli præparabunt se ad vindictam excercendam, Angelus vero dum viderit præparatas esse tubas & phialas iræ Dei ad punitionem Gentium, orabit pro fidelibus, ne pereant in plagis, & vindictam petet aduersus Antichristianos. Hoc totum explicat fumus sursum ascendens, & ignis proiectus in terram; fumus pro fidelibus; ignis in Antichristianos; vtrumq; autem fit exemplo eius, quod dixit Dominus ad Moysen

Nume-

Numeror. 16. 44. *Dixitq; Dominus ad Moysen. Recedite de medio huius multitudinis, etiam nunc delebo eos. Cumq; iacerẽt in terra. Dixit Moyses ad Aaron: tolle thuribulum, & hausto igne de altari mitte incensum desuper, pergens citò ad populũ, vt roges pro eis: iam enim egressa est ira à Domino, & plaga desæuit*, vbi plaga ferit, opus est thuribulo, & igne altaris, orationibusq; Sanctorum, eo enim modo Iusti liberantur, infideles perimuntur, idq; accidit in deprecatione Aaron. D. cap. 16. n. 48. *Pro populo deprecatus est, & plaga cessauit, fuerunt autem qui percussi sunt quatuordecim millia hominum, & septingenti* ¶ Nota quod sicut præpositus est Aaron offerre sacrificium, & incensum Deo pro populo Israel, Eccles. 45. ita Angelus altaris præpositus est offerre pro nobis sacrificium, & incensum Deo nostro. Hic venerandus Angelus habet incensa omnia, vt ea coram Deo pro hominibus adoleat.

Et septem Angeli, qui habebant septem tubas, præparauerunt se vt tuba canerent. N. 6.

Hæc Angelorum præparatio designat moram aliquam futuram vltionis diuinæ, vt pœnitentiam agant peccatores, vt ita futuras plagas euitent, iuxta illud Dauid, *Cum iratus fueris misericordiæ recordaberis*, & infra cap. 15. n. 7. Angeli cum phialis præcincti astant, & ad vindictam se præparant. Nota quod tuba est supplicij, & deuastationis typus, in tubis postrauit Deus Iericho, Iosue cap. 6. In clangore tubæ Deus iràm suam immittit, Amos. 2. *Mittam ignem in Moab, & deuorabit ædes Carioth, & morietur in sonitu Moab in clangore tubæ* Zach. 9. 14. *Exiuit vt fulgur iaculum eius: & Dominus Deus in tuba canet.* In voce horum Angelorum, & in clangore eorum, potentia Antichristianorum confringetur, alludit Esai. 33. 3. *A voce Angeli fugerunt populi*, & infra cap. 10. in voce septimi Angeli mysterium Dei consummabitur circa interitum, & finem

finem reproborum. Nota etiam multoties per bonos Angelos inferri plagas peccatoribus Esai. 37. 36. *Egressus est Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.*

N. 7. Et primus Angelus tuba cecinit, & facta est grando & ignis mista in sanguine, & missum est in terram, & tertia pars terræ combusta est, &c.

Hæc est prima plaga, & consonat cum plaga Ægyptiaca grandinis, & ignis, Exod. 9. 24. Hæc prima tuba siue plaga mittetur in terram, vt patet hic, *missum est in terram*, & infra cap. 16. n. 2. *Effudit phialam suam in terram*, & in hac plaga fiet vulnus sæuum & pessimum in homines qui habent characterem bestiæ d. cap. 16. n. 2. Sed non omnes hac plaga peribunt, nam tertiam tantum partem percutiet mistum hoc grandinis & ignis, vastabuntur illa loca, in quibus Antichristi satellites habitauerint, ita vt omnibus computatis, non absurdè dicamus, tertiam terræ partem, & arborum, igne & grandine percutiendam fore, & comburendam, neque vno & eodem loco hæc plaga vires suas exeret, sed sparsim & per interualla locorum. Vel aliter dic, non sine mysterio in omnibus his plagis ter repeti hanc clausulam, *& tertia pars percussa est*, nam per hæc verba, sacra scriptura significat magnam Dei vindictam, vt cap. 5. Ezech. præcipue. n. 12. *Tertia pars tui peste morietur & fame consumetur in medio tui: & tertia in gladio cadet &c, tertiam vero partem tuam in omnem ventum dispergam, Et complebo furorem meum*, & vide in fine capitis, & infra cap. 16. n. 19. Præterea inquit textus tertiam partem arborum concremendam, & omne fœnum viride plaga comburendum, alludit ad eamdem plagam Ægypti. d. cap. 9. Exodo n. 25. *Cunctamq;*

herbam

herbam agri percussit grando, sed in ea plaga exceptum est triticũ & far, in hac nouissima dicitur omne viride fuisse postratum, quod intelligendum est de omni fæno tertiæ partis terræ, nam vt dixi, tertiam partem tantum percutit prima tuba, non vero totum, & omnia. Nota quod licet fœnum sit herba iam arida, tamen viride dicitur in præsenti per metonymiam, præcipue cum exaruerit in hac plaga.

Dices hanc nostram interpretationem circa tubas multum in hærere literali grammaticæ, cum veritas Apocalypsis non sumatur ex grammaticali sensu. Dico tamen cum Irenæo lib. 4. cap. 50. & Lactant. lib. 7. cap. 15. & Rib. in præsenti, has plagas ad literam esse accipiendas, sunt enim hac de re multæ reuelationes, & hæ plagæ iudicium antecedent, quod prædixit Christus Dominus Lucæ 21. 11. *Et terremotus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresq; de cœlo, & signa magna erunt*, vnde quam plurimi has plagas ad diem magnum iræ Dei referunt. Quod si huic certissimæ interpretationi non acquiescas. Dic, quod canente prima tuba *facta est grando & ignis mista in sanguine*, ideſt, facta est terribilis, ignita, & truculenta punitio: *Et missum est in terram*, ideſt executioni mandata aduersus Iudæos, qui per terram significantur, Genes. 13. 16. *Faciamque semen tuum sicut puluerem terræ.* Exod. 5. 5. *Dixitq; Pharao multus est populus terræ.* Ierem. cap. 1. n. 18. *Sacerdotibus, & populo terræ.* Ezech. 12. 19. *Et dices ad populum terræ.* Eccles. 44. 22. Vt sensus sit: prima plaga erit aduersus Iudæos sequentes Antichristum, in quibus fiet vulnus sævum, & pessimum, vt infra cap. 16. n. 2. ¶ *Et tertia pars arborum concremata est.* Per arbores possunt intelligi principes & potentiores, Daniel cap. 4. n. 17. Ezech. cap. 17. n. 24. cap. 20. n. 47. cap. 31. n. 18. cap. 15. Esai. cap. 55. n. 12. cap. 56. n. 3. Possunt etiam homines intelligi Marc. 8. n. 24. *Video homines velut arbores ambulantes.* Possunt etiam intelligi peruersi

uersi peccatores S. Iudas Epist. n. 12. *Arbores infructuosæ bis mortuæ.* ¶ Fœnum typus est hominis mortalis, iuxta illud *Omnis caro fœnum.* Ponitur etiã pro populo Esai. 40. *Exiccatum est fœnum*, & inferius, *Vere fœnum est populus*, & cap. 37. *Habitatores &c. facti sunt sicut fœnum agri.* Ponitur etiam pro peccatoribns. Psalm. 91. *Peccatores sicut fœnum.* Igitur in prima tuba punietur tertia pars Iudæorum, & omnis peccator pessimus. Hæc plaga grandinis pertinet ad diem vindictæ Sophon. 1. n. 14. Iosue 10. 11.

N. 8. Et Secundus Angelus tuba cecinit, & tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare, & facta est tertia pars maris, sanguis &c. Et tertia pars nauium interijt.

Sicut prima tuba & plaga percussit tertiam mundi partem, ita secunda percutiet tertiam partem maris, vt infra cap. 16. n. 3, *Et Secundus Angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tanquam mortui: & omnis anima viuens mortua est in mari*, qui locus aliquomodo opponitur huic textui. Sed ibi loquitur de præcipua sede, & Regno Antichristi, at hìc loquitur de toto mundo, cuius respectu tertia pars vastabitur. In hac secunda tuba mons vel globus igneus cadet in mare Turcicum, & comburet naues, & pisces, & instar Ætnæ succensus, virtute supernaturali vertet aquas in sanguinem, & erit ingens vaporum exhalatio in aere concreta, & accensa, quæ instar montis ruat in mare, idque mihi probat Cornel. *Verisimile est*, inquit, *hanc massam primò in sublimi, & in initio lapsus instar montis ardentis coniunctim apparituram: deindé in progressu spargendam in varias partes, vt mare inficiat. Similis fuit pluuia ignis sulphurei, qua Sodoma, & Pantapolis conflagrauit. Genes. 19*, quare sicut illa ita hæc erit formidabilis, & tremendum pauorem hominibus incutiet, non

non solum quòd videant mare cruentari, sed quòd sit intolerabilis fœtor quia mare vertetur in sanguinem putridum, & tanquam mortuorum hominum cap. 16. n. 3.

Vel aliter & secundò, *Mons magnus igne ardens* erit ingens calamitas, quæ per ignem & montẽ exprimitur, iuxta illud Dauid, *Dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.* Diabolus etiam dicitur mons pestifer Ierem. 51. 25. Igitur mõs magnus mittetur in *mare*, id est fiet magna calamitas inter Gentiles, & Barbaros, qui per mare significantur Esai. cap. 10. n. 26. *Et suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum, iuxta plagã Madian in Petra Oreb, & virgam suam super mare*, & cap. 57. n. 20. *Impij autẽ quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum.* Est enim optima similitudo maris ad impios & Barbaros. Primo propter eorum multitudinem & varietatem. Secundo propter profunditatem errorum. Tertio propter eorum turbationẽ, & tumultus. Quarto quia sicut in mari viuitur ex rapto, & magni pisces minores deuorant, ita improbi pagani diripiunt minores, & opprimunt. ¶ Pisces in præsenti possunt dici ijdem gentiles, quos fructus feri maris appellat S. Iudas in sua epist. n. 13. ¶ Naues sunt pyratæ Ezech. 26. 18. *Nunc stupebunt naues in die pauoris tui.* Igitur in secunda tuba, mare, & pisces eius, ac naues vastabuntur ad tertiam partem eorum, *Et mare vertetur in sanguinem*, id est, in magnam calamitatem, & miseriam, quoniam gentilitas ad vltimam pene iacturam deducetur.

Et tertius Angelus tuba cecinit, & cecidit de cœlo stella magna, ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum: & nomen stellæ dicitur absinthium, & facta est ter- N. 10.

tia pars aquarum in absinthium.

Hæc plaga respondet primæ plagæ Ægypti, quæ fuit conuersio aquarum in sanguinem Exod. 7. 17. & respõdet tertiæ phialæ, infra cap. 16. n. 4. *Et tertius effudit phialam suam super flumina, & super fontes aquarum: & factus est sanguis.* Igitur in tertia tuba *cecidit stella magna de cœlo*, id est, stella aerea, vel simile meteoron cadet super aquas, & amaricabit, cruentabitque eas, quod intelligendum est respectu tertiæ partis mundi. Nomen stellæ huius dicitur absinthium, id est amaritudo, Amos 6. 12. *Quoniam conuertisti in amaritudinem iudicium, & fructum iustitiæ in absinthium*, & cap. 5. n. 7. & Ierem. cap. 9. n. 15. ¶ Possunt etiam hæc aliter interpretari, vt tuba canente tertio Angelo, ceciderit de cœlo ardens stella, id est, influxus stellæ nociuæ. *In tertiam partem fluminum*, id est, in Reges, & potentes, seu Curiales Antichristi, qui per fluuios, & flumina indicãtur, Habac. 3. *Fluuios scindes terræ.* Psal. 97. n. 8. *Flumina plaudent manu.* Ezech. 31. *In die quando descendi ad inferos, induxi luctum, operui eum abysso, & prohibui flumina eius, & coercui aquas multas.* Esai. 8. 7. Zachar. 10. 11. ¶ *Cecidit etiã in fontes aquarum*, id est, in Metropoles regni Antichristi. A quæ in hac Apocalypsi sunt populi, & Gentes, vt infra cap. 17. n. 15. Fontes sunt origines populorum. ¶ Nota ad mores quod magnum supplicium vocatur Absinthium, quod licet tristitiam afferat, visum tamen acuit, efficitque vt homines mala videant, & corrigãt, nam hoc intendet Dominus in his plagis, vt infra cap. 9. in fine.

N. 12. Et quartus Angelus tuba cecinit: & percussa est tertia pars Solis, & tertia pars Lunæ, & tertia pars stellarum, ita vt obscuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret

pars

pars tertia,& noctis similiter.

Hæc plaga concinit cum quarta phiala quæ effusa est in Solem infra cap.16. n.8. Percuti tertiam partem Solis, hoc est,offendi summa ignis caligine,& obscurari ardore phialæ, ita vt percusso Sole, homines affligantur æstu & igni. Hæc erit terribilis plaga, in qua æstuantes homines æstu magno,& caligine ignis offuscati nomẽ Domini blasphemabunt,vt dicitur infra cap.16.n.8,& quidem caligo ignis concreti in phiala,missique in Solem efficiet,vt obscuretur Sol,cæteraque astra plus solito,id enim significant verba illa,*Ita vt obscuraretur tertia pars eorum*,id est penitus obscuretur tertia parte plus solito. Nec obstant verba sequentia, *Et diei non luceret pars tertia,& noctis similiter*, quia non significant tertia temporis parte, diei scilicet & noctis,hæc astra obscuratum iri,& cæteris duabus temporis partibus claritatem habitura,sed potius diem atq; noctem fieri solito obscuriorem, vt inquit Cornelius, alioquin minor esset hæc plaga,quam fuit plaga Ægypti,quæ densissimis tenebris triduo molestauit Ægyptios Exod. cap.10.n.22.*Factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco in quo erat*,quod quidem dicendum nõ est,quia illæ plagæ typus tantum, & præludium fuere eius quod futurum erit in fine mundi & plagis nouissimis,& credo quod hæc plaga tenebrarum duratura sit per trimestre tempus, nam in Ægypto durauit triduo, & sequens plaga sextæ tubæ quinque mensibus durabit infra cap.9.n.5. *Sed vt cruciarent mensibus quinque*.Illud tamen scias Solem, cæteraque astra obscuranda solùm quo ad tertiam mundi partem,id est,Antichristi regnum.Mundus dicitur pars Solis, id est pars in qua Sol lucet, tertia autem mundi pars tantum obscurabitur. Verisimile etiam est,præcipuam sedẽ Antichristi nominandam esse ciuitatem Solis, nam prophetauit Esai.cap.19.n.18.in illis diebus in Ægypto quin-

que ciuitates futuras, quarum vna erit ciuitas Solis, forsam,& aliæ Luna,& astra vocabuntur,& in his erit quarta plaga. Hæc plaga pertinet ad diem iræ Domini,nã erit dies nebulæ & caliginis,vt prophetauit Sopho.1. cap.1.

N. 13. Et vidi, & audiui vocem vnius aquilæ volantis per medium cœli. Dicentis voce magna. Væ, væ, væ, habitantibus in terra, de cæteris vocibus trium Angelorum, qui erant tuba canituri.

Originale Græcum loco *Aquilæ* substituit *Angeli*, credo tamen quod in præsenti æquiualent. Hæc aquila est S. Ioannes Euangelista, Apocalypsis Propheta, ei dum esset in extasi Deus imaginariam aquilam per visum ostendit, quæ nunciaret tremẽdas posteriores plagas. Hic idem est Angelus qui habens Euangelium æternum (nam euangelium suum inchoauit ab æternitate Verbi) per medium cœli volauit infra cap.14.n.6.nam ibi volat per medium cœli sicut in præsenti, ibi etiam clamat voce magna sicut hic. Reseruatus est enim tantus Apostolus, vt euangelizet gentibus tribubus,linguis,& populis d.cap.14.n.6. *Vt euãgelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum*. Quod & prædictum est ei cap.10. *Oportet te iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis*, vbi notanda est similitudo verborum cum his quæ dixit d.cap.14. Est enim S.Ioannes aquila Ecclesiæ cui credita est prædicatio Euangelij in tempus Antichristi,vt sicut ex lege naturæ seruatus est Henoch,ex lege scripta Elias,sic ex lege Gratiæ veniat vnus præ omnibus Euangelista Ioannes. Quod autem aquila ter repetierit minatricẽ vocem Væ,væ,væ,significat S.Ioannem nouissimis diebus proclamaturum posteriores plagas, alludit ad locum A-

mos

mos cap. 5. n. 16. *In omnibus plateis planctus, & in cunctis quæ foris sunt, dicetur væ, væ,* & Ezech. 5. à n. 16. & cap. 16.

CAPVT NONVM.

CONTINVATIO.

PRosequitur S. Ioannes tubarum visionem, nam superiori capite ex septem illis Angelis, quos cum tubis in cœlo cõspexit, quatuor tantum representauit, in hoc tamen capite quinti & sexti Angeli narrationem complectitur.

TEXTVS.

Et quintus Angelus tuba cecinit: & vidi stellam de cœlo cecidisse in terram, & data est ei clauis putei abyssi, & aperuit puteum abyssi, & ascendit fumus, &c. & obscuratus est Sol, &c. & de fumo putei exierunt locustæ, &c. N. 1.

IN hac plaga (vna ex tribus maioribus) canẽte tuba quinto Angelo, stella cadens de cœlo aperit puteum abyssi, & Sol obscuratur, & aer, & ex fumo abyssi prodeunt monstrosæ locustæ, similes equis, & habent coronas, capillos mulierum, dentes leonum, & caudas scorpionum. In hac tremenda plaga tria veniunt inquirenda. Primo quid significet hæc stella. Secundo quid significet fumus. Tertio quid significent locustæ. Et sanè mira sunt quæ in huius loci explicatione interpretes recensuere, omnia retorquẽtes ad hæreticos, Barbaros, & Mahometanos, sed hæc dũ faciunt, parum aut nihil curant de litera, quam vel inuertunt, vel prætermittunt. Certè eorum interpretationi repugnat, quòd huiusmodi locustæ eos tantum cruciãt, qui non

non habent signum Dei, vt patet infra. *Et præceptum est illis ne læderent, &c niſi tantum homines, qui nõ habent signũ Dei*, & tamen hæretici, & Mahometani non alios cruciant, quam habentes signum Dei. Item hæ locustæ adeò cruciant, vt cruciati mori desiderent, vt patet ibi: *Et desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis*, hæreticis vero non est cruciandi cura, sed pervertendi, nec seducti ab his mori optant. Omitto cætera quæ dicuntur in hoc textu de quinq; mensibus, quibus durabit hæc plaga locustarum, quæ minimè aptari possunt præfatæ opinioni, maxime cum hæc portenta ad mundi finem referantur.

Vera resolutio est. Hec stella significat Angelum bonum, vt bene docuit Ribera, neque enim dæmoni claues abyssi erant committendæ, vt infra cap. 20. n.1. & in hac Apocalypsi stella ponitur pro Angelo, vt supra cap. 1. in fine. ¶ Fumus erit tetra caligo, densissimusque fumus tãquam magnæ fornacis, quo Sol & aer obscurabuntur, hoc patet, nam vt diximus cap. 8. tubæ idem continent quod phialæ, in quinta autem phiala regnum Antichristi efficitur tenebrosum, vt patet cap. 16. n.10. *Et quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ, & factum est regnum eius tenebrosum*, addit ibi: *Et commanducauerũt linguas suas præ dolore*, quod etiam contigit in hac quinta tuba, in qua præ dolore mori desiderãt, vt dixi supra. Fumus iste præter caliginem & tenebras producet portentosa animalia, & phantasmata, quæ Antichristianos diuexabunt. Virtute enim diuina profundissimus hiatus à fundo abyssi ad terræ superficiem pandetur, & immensa fumi vis exibit, vt solet ex Ætna, & Vesuuijs, in quibus multa concreta latẽt incendia, quæ compressa tenentur, vt sub mundi finem erumpant, & vastent vniuersa.

Locustæ erunt portentosa monstra ex fumo generata, nã sicut solet aqua generare lacerta, bufones, & terra muscas, & mures formare ex crasitudine, vt accidit in agris Philistinorum. 1. Reg. 5. ita fumus abyssi multa & maiora

pro-

producit portenta, furias, & phantaſmata, quibus miſeri damnati intra tartara premuntur, & hæc monſtra, alia ſpeciem recipiunt leonis, alia ſcorpionis, alia vrſi, alia colubri, Amos 5.18. *Quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus*, &c *& mordeat eũ coluber* Eſa.13.21.*Requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi.*& 34.14. *Onocentaurus, & piloſus clamabit alter ad alterum: ibi cubabit lamia.*

Poſſunt etiam locuſtæ pro dæmonibus accipi, vt bene probat Cornelius in præſenti, vt ſenſus ſit; in quinta tuba, laxato inferno, fiet hiatus, ex quo erumpat infernalis caligo, ſecumque deferat harum locuſtarum, id eſt, dæmonũ agmina, ſanè verba illa, *Et de fumo putei exierunt locuſtæ* hoc ipſum denotãt, quaſi fumo exierint inuolutæ de abyſſo, & poſtea prodierint de fumo, & apparuerint. Planè hæc plaga terribilis erit, vbi paſſim occurrent dæmonia Eſai.34.14.*Occurrent dæmonia, onocentaurus, & c.* & totum regnum Antichriſti manebit tenebroſum, non ſolum propter caliginem, ſed etiam propter tot ſpiritus tenebrarũ qui occurrent inſtar muſcarum, & locuſtarum Eſai. 7. n. 18.*In die illa ſibilabit Dominus muſcæ*, nec miror, quod in tanta anguſtia quæſituri ſint homines mortem, nam dæmonum ſocietas peior eſt morte, ô miſeri Antichriſtiani, quibus tunc erit vita ſupplicium, & mors reputabitur ſolatium, vt aliàs inquit textus in l. quiſquis. §. 1. C. ad leg. Iuliam. Maieſt. Hæc plaga redolet illas Ægypti plagas, locuſtarum, ranarum, muſcarum, & ciniphum, ſed hæc vna præ omnibus illis, nam illæ fuerunt præambulæ, & prænunciæ, & comparatione harum fuere velut iocus & ludus, & ſicut homo pictus comparatione veri hominis.

Et præceptum eſt illis ne læderent fœnum terræ neque omne viride, neque omnem N. 4.

arbo-

arborem: nisi tantum homines qui non habent signum Dei in frontibus suis.

Locustæ infernales non depascuntur herbas, solent tamen sata & arbusta lædere, & cum lapidibus destruere, ideò eis præcipitur ne lædant fœnum, neque arbores, neque omne viride, sed tantum, vt eos crucient, qui non habent signum Dei, per quinque menses, si enim plaga hæc diutius duraret, homines desperarent, & se ipsos interimerent; optabunt tamen mortem, & vt dicitur infra cap. 16. n. 10. commanducabunt linguas suas præ dolore, vti fit cũ quis sumpsit lentum, & non satis efficax venenum, quod statim non interficit, sed ita cruciat, vt homo nec viuere nec mori possit. Hæc plaga percutiet tãtum Antichristianos, nam hi non habebunt signum Dei in frontibus, sed signum, & characterem Antichristi & Satanæ.

Prosequitur textus: *Et datum est illis ne occiderent eos: sed vt cruciarent mensibus quinque, & crutiatus eorum vt cruciatus scorpij cum percutit hominem. Et in diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Hæc uerba satis indicant huius quintæ plagæ tremendum supplicium, certè talis erit caligo, tam frequens occursus animalium multiformium in domibus, per vias, & plateas, tantaque leonum, scorpionum, vrsorum, lamiarumque infernarum multitudo, vt homines ipsos in desperationem fere conijciant, & mortem libentissime deligant, linguasque suas præcidant, vt infra cap. 16. n. 10. Sed fugiet mors ab eis, ita Deo permittente. Dicitur in textu *& datum*, id est, concessum; in alijs legitur, *& dictum est illis*, quæ verba magis conueniunt Græco originali. Nota ex litera, quod hæc plaga durabit quinque mensibus, sanè ex his verbis constat, has plagas habituras sua interualla temporum, nam infra cap. 10. n. 7. de septima tuba & plaga dicit: *In diebus vocis septimi Angeli.*

Item

Item nota, non sine mysterio circunstantias temporis recensere, & de minutijs temporum mentionẽ facere, quia vna ex præcipuis causis ob quas Deus Ecclesiæ reuelauit hanc Apocalypsim, fuit, vt fideles illis temporibus confortentur, & fidem constantissime teneant, dum viderint, omnia futura, à Christo Domino esse præuisa, & etiam ad confundendum Antichristum, qui negabit diuinitatem Christi Domini, nã in hac Apocalypsi Iesuchristi, omnia recensentur, & exprimuntur, quæ illis tẽporibus adueniẽt.

Prosequitur textus: *Et similitudines locustarum similes equis paratis in prælium: & super capita earum tanquam coronæ similes auro: & facies earum tanquam facies hominum. Et habebant capillos sicut capillos mulierum: & dentes earum sicut leonum erant. Et habebant loricas sicut loricas ferreas, & vox alarum earum, sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum, & habebant caudas similes scorpionum, &c.* Portentosæ erunt hæ locustæ, & multiformes, nam erunt similes locustis magnis quoad alas & pedes; similes equis quoad formam, magnitudinem, audaciam, & vsum bellicum; similes leonibus quoad dentes; similes hominibus quoad loricas; similes mulieribus, & effæminatis hominibus quoad faciem & capillos; similes Regibus quoad coronas aureas; similes scorpijs quoad caudam & aculeũ. Vndè cruciabunt pungendo aculeis, mordendo dentibus, terrẽdo aspectu & sonitu curruum equestrium. Erit enim quælibet locusta quasi vnum concretum ex varijs formis, hominis, leonis, vrsi, equi, & tauri, ita vt resultet vna species admodum admiranda & formidabilis, nam dentes leonis explicant diram plagam. Ioel. 1. 6. *Gens enim ascẽdit super terram meam fortis & innumerabilis: dentes eius, vt dentes leonis*, item vox siue stridor alarum, & currus equorum currentium indicant tremẽdam vindictam. Ioel 2. 4. *Quasi aspectus equorum, aspectus eorum, & quasi equites sic current, sicut sonitus quadrigarum super capita montium, sicut sonitus flammæ ignis, &c. velut populus fortis præparatus*

ratus ad prælium. A facie eius cruciabuntur populi, quæ verba mirum in modum conueniunt cum verbis noſtri textus. Habebunt etiam capillos quaſi mulierum, vt alliciat, in quo erit maior cruciatus, alludit ad illud Ezech. 2. *Cum ſcorpionibus habitas.*

N. 11. Et habebant ſuper ſe Regem Angelum abyſſi, cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè autem Appolyon: Latinè exterminans, &c.

Hæc portentoſa animalia quintæ plagæ regentur ab Angelo abyſſi, id eſt inferni Pſalm. 68. 16. Hic Angelus malus, dicitur Rex phantaſmatum, infernarumque furiarum: dicitur exterminans propter damna quæ infert. Hic iuſſu Dei reget locuſtas, ne ceſſent cruciare Antichriſtianos præfato tempore quinque menſium. Satanas eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Iob, 41. 25, *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.*

Tropologicè ſupradictæ locuſtæ deſignant aſtutas meretrices, quæ dulci amoris veneno tanquam Sirenes & Furiæ, inſenſatorum diuitias diripiunt, vſque adeò eos debilitantes, ſicut ſolent locuſtæ ſata & ſegetes. Sanè omnes metaphoræ huius quintæ plagæ meretricibus conueniunt, nam illarum illecebræ ſunt puteus, in quem præceps ruit peccator, fumus putei ſunt retia, & mendacia meretricũ, quibus amaſij implicantur, & hærent, tanquam obſcuriſſimis tenebris, nec ab eis ſe valent expedire, & recta eſt hæc ſimilitudo cum fumo abyſſi, nam dæmon hæc omnia fouet, & mentis oculos excæcat. Rectè vocantur locuſtæ, nã hoc animal eſt vagum, noxium & impudens. Item hæ locuſtæ habebant facies hominum & capillos mulierum, nam meretrices ſe blandas & molles prima facie exhibent, & ita incautos homines pelliciunt, ſed addit textus, quod

quod habent dentes leonum, nam talis amor meretricum in felicem habet exitum, & animam interficit Eccles. 21. *Dentes leonis dentes eius interficientes animas.* Item habent coronas quia insensati amatores eas sequuntur tanquam reginas, & ad pedes ipsarum subijciuntur. Habent etiam caudas scorpionum, quia ingrediuntur blandè, sed in nouissimo mordebunt vt coluber, & tanquam regulus venena diffundent. Habent super se dæmonem Abaddon, qui vocatur destructor, nam diabolus regnat super meretrices, & eas destruit, & in vltimam præcipitat miseriam.

Tandem dicit textus: *Væ vnum abijt, & ecce veniunt adhuc duo væ post hæc.* Id est, prima plaga ex tribus maioribus abijt, prima scilicet plaga locustarum: Et ecce veniũt duæ plagæ sexti & septimi Angeli, quæ sunt etiam, vt supra probo, ex tribus magnis, & subdit plagam sexti Angeli dicens.

Et sextus Angelus tuba cecinit: & audiui vocem vnam, &c. Dicentem sexto Angelo, qui habebat tubam, solue quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate, &c. N. 13.

Mittamus quæcumq; scripta sunt pro explicatione huius versus. Hæc sexta plaga debet coniungi cũ plaga sextæ phialæ, & hi quatuor Angeli qui alligati sunt in flumine Euphrate, sunt Reges illi, qui siccato Euphrate venturi sunt ab ortu Solis, vt infra cap. 16. n. 12. *Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem, & siccauit aquam eius, vt præparetur via Regibus ab ortu solis.* Hi quatuor dæmones alligati, dicuntur Reges equestris exercitus, de quo infra num. 16. vt quemadmodum locustæ quintæ plagæ habent suum Regem Abaddõ supra n. 11. ita

& exercitus dæmonum in quatuor partes diuisus habeat suos quatuor Reges, qui dicuntur venire ab oriente, quoniam alligati sunt in flumine Euphrate ad orientalem plagam, ideò autem alligati sunt in flumine Euphrate, quia Euphrates alluit Babylonem, & hæc plaga præparatoria est ad extinctionem Babylonis ciuitatis impiorũ, vt quẽadmodum antiqua Babylon, siccato Euphrate, paruit Cyro & Dario Regibus, sic Babylon ciuitas impiorum sub Antichristo cedat dæmonibus, vt dicitur infra cap. 18. n. 2. *Cecidit, cecidit Babylon magna & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ, & odibilis*, & hoc est factam esse Babylonem in tres partes in cap. 16. n. 19. *Et facta est ciuitas magna in tres partes*, id est, in habitationem dæmoniorum, in custodiam omnis spiritus immundi, in custodiam volucris omnis immundæ, quæ omnia cõtingent sub septima tuba, & phiala, at in sexta tuba, & phiala ad similitudinem obsidionis Darij & Cyri siccabitur Euphrates, sic dæmones primò Babylonem expugnabunt, magnamque impiorum stragem conficient, demum iam extinctam in septima tuba Babylonem occupabunt. d. cap. 18. n. 2. quæ omnia dicuntur per similitudinem Darij, & Cyri, nõ quod vere siccandus sit Euphrates, neque enim dæmones egẽt sicco alueo, vt veniant in Babylonem, eamque diripiant, & crucient.

Dum viderit Antichristus, hanc sextam plagam inualescere, tunc congregabit Reges terræ in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei, eosque congregabit in locũ Armagedon, vt dicitur infra cap. 16. à n. 13. sed tunc eis congregatis clanget septima tuba, & tunc veniet sicut fur Saluator noster. d. cap. 16. n. 15. *Ecce venio sicut fur*, & ita congregatos omnes disperdet, & in equo albo sedens reget hos impios in virga ferrea, omnesque vastabit, vt infra cap. 19. n. 11. & præcipuè n. 19. *Et vidi bestiam, & Reges terræ & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium*

cum

cum illo qui sedebat in equo, quæ verba concordant cum verbis d. cap. 16. n. 16. *Et congregauit illos in locum qui vocatur Hebraicè Armagedon.* Sed vtrum venturus sit Saluator noster in propria persona ad exercendam vindictam in gentes, an in subiecta Angeli, vel S. Pauli persona, dubitabile est, nam Ioachimus Abbas in eam videtur sententiam inclinare d. cap. 19. vt venturus sit Christus Dominus in sua propria persona, hæc tamen fusius explicabimus, d. cap. 19

His positis explicatio textus est, sexto Angelo tuba canente exit vox de quatuor cornibus altaris, hæc vox est vox martyrum, qui iacent sub altari, vt supra dixi cap. 8. n. 3. & 4. Martyres enim sub altari petierunt vindictam aduersus impios sup. cap. 6. à n. 9. Martyres enim ex præcepto Dei imperant Angelo sextæ tubæ, & phialæ, vti soluat quatuor præcipuos Angelos abyssi, qui ad vindictam alligati sunt in flumine Euphrate.

Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia, & audiui numerum eorũ. N. 16.

Quatuor superiores Archidæmones regent innumerabilem hanc multitudinem dæmoniorum, sic enim nõ solum per monstra infernalia, quorum Rex est Abaddõ, sed etiam per veros dæmones, quorum Reges sunt Archidæmones, deprimentur, & vastabũtur infideles. Numerus superior efficit ducentos milliones dæmoniorum, quem numerum in præsenti obseruat S. Ioannes se audiuisse, ne forsam de eo quisquam posset dubitare.

Et ita vidi equos in visione: & qui sedebant super eos habebant loricas igneas, & & hyacinthinas, & sulphureas, & capita N. 17.

equo-

equorum erant tanquam capita leonum, & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & ſulphur.

Dixerat in verſu antecedenti exercitum eſſe equeſtrē, nunc indicat formam equorum, & equitum, & incipit à famoſioribus, ab equitibus, & inquit quod habebant loricas igneas, id eſt terribiles inſtar ignis, & hyacinthinas inſtar fumi, & ſulphureas inſtar ſulphuris, hoſce enim colores, vel tunicas horum colorum loricis ſuis hi infernales equites inducent, ſed & equi non minus formidabiles erunt, habentes capita leonum, & naribus efflabunt fumos, ore ſulphur, & flammas, & his quaſi bombardis infinitam pene infidelium multitudinem abſument, hi equi forſam diabolica arte per apparentiam formabuntur, niſi quis dicat ipſos dæmones equos ſubſtituere, nam formam beſtiarum aſſumere conſueuerunt, vt referunt vbiquè Doctores.

Proſequitur textus: *Et ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominū de igne, & ex fumo, & ſulphure.* Hæc tertia pars eſt infideliū, & reproborū, quia plagæ ſolum percutient non habentes ſignum Dei, vt patet initio capitis. Etenim cum ſacra Scriptura vult ſignificare magnam Dei vindictam, interimendam tertiam partem hominum proponit, vt ſit in perditione Ieruſalem Ezech. 5. n. 12. *Tertia pars tui peſte morietur*; & n. 13. *Et complebo furorem meum.* ¶ Quod autem in præſenti dicitur ab his tribus plagis interimendam tertiam partem hominum, intelligendum eſt per ſinecdoche & anallage, vt ponatur plurale pro ſingulari, quod patet ex ſequentibus. *Ab his tribus plagis de igne, & ex fumo, & ſulphure*, id eſt, ab his tribus plagis igne, fumo, & ſulphure, quæ ſunt ſexta plaga, & alludit ad plagam nonam Ægypti.

Addit textus. *Poteſtas enim equorum in ore eorum eſt, & in caudis eorum, nam caudæ eorum ſimiles ſerpentibus habentes*

capita

capita. Efferi sanè sunt hi equi, qui non solum ore nocēt, sed etiam caudis, in quibus erunt clauæ nociuæ & venenosæ instar scorpionum. *Potestas enim equorum*, id est, vis & fortitudo nocendi. *In ore est & in caudis*, quia ore bombardas vibrabunt, caudis contundent, & concutient. ¶ Tādem concludit textus: *Et cæteri homines, qui non sunt occisi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, vt non adorent dæmonia, & simulachra aurea.* Ex his euidentius apparet id quod supra dixi, plagas istas esse supplicia aduersus Antichristianos & peruersos peccatores, qui in tanta miseria non resipiscent, vt infra cap. 16. n. 11. *Et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.* De his prophetauit Ioel cap. 2. n. 6. *A facie eius cruciabuntur populi*, & inferius: *Viri in vijs suis gradientur, & non declinabunt à semitis suis.* Similis fuit obduratio Pharaonis Exod. 7. qui visis tot portentis obduruit, & fortius Deo & Moysi restitit. Nota quod illa verba huius textus: *Neque pœnitentiam egerunt*, illud significant, *Non egerunt pœnitentiam*, orationē tamen dubiam reddunt illa verba antecedentia: *Qui non sunt occisi in his plagis*, clariorque videtur oratio, si diceret *Et cæteri homines neque pœnitentiam egerunt*, id est non egerunt pœnitentiam.

CAPVT DECIMVM.

PRÆFATIONES AD TEXTVM.

TOrquentur Doctores in detegenda huius capitis continuatione cum antecedentibus, & certant de re, quæ non venit ad rem, videlicet, pertineat hic textus ad sextā tubam, & plagam, vel ad septimam, de qua infra cap. 11. in fine. Sed his omisis dicendū est in hoc capite & sequēti agi de rebus præclarissimis, quæ nouissimis illis temporibus, præcipuè inter sextam & septimam plagam intercedent, plagæ enim istæ habent sua temporis interualla, vt

sæpius

sæpius adnotaui,& inter sextam & septimam erit Exodus populi Christiani, tunc enim feruentius inualescet prædicatio S.Ioannis,Eliæ,& Henoch, & mysteria Apocalypsis reuelabuntur prædicatione S. Ioannis. Hæc enim omnia continentur in his duobus capitibus, præuia quidem & necessaria ad septimam tubam, & quemadmodum ante septimam Ægypti plagam cõstituit Dominus tempus Pharaoni,vt populum dimitteret,& duritiam cordis deponeret,& iussit Moysi leuare manũ in cœlum in signum supplicij & vindictæ,vt constat Genes.cap.9.à n.5. ita Angelus in præsenti ante septimam tubam leuat manum ad cœlum,& iurat tempus amplius non futurum ,& in septima tuba omnia fore consummanda,& vindictam de Antichristianis sumendam.

Admonendi etiam sumus, quod omnia quæcumque populo Israel contigisse legimus, ea ipsa figurabant quæ populo Christiano euentura essent,nam oppressio filiorum Israel sub Pharaone denotat Ecclesiæ oppressionem sub Antichristo. Item plagæ Ægypti quasi figuris quibusdam designabant has plagas nouissimas. Item exodus Israel de Ægypto est typus & imago alterius profectionis Ecclesiæ, de qua infra cap. 12. n. 6. *Et mulier fugit in solitudinem*,& supra cap.*6.Et cœlum recessit.* Item sicut sanguis agnorum fuit signum liberationis Israelitarum, Exod. 12. 13. *Erit autem sanguis vobis signum in ædibus, & videbo sanguinem, & trasibo vos, nec erit in uobis plaga disperdens*, ita signum super Christianos erit liberatio populi Dei, vt supra cap. 7. Item sicut Israelitæ sub vmbra alarũ Dei liberati sunt à Pharaone Exod.19.*Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptijs, quomodo portauerim super alas aquilarum*,ita Ecclesiam deducet in desertum super alas aquilæ magnæ,cap.12.n.14. *Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ vt volaret in desertum.* Item sicut mare rubrum ingurgitauit ingentes Pharaonis copias in Israelitas irruentes Exod. 15. eodem modo terra absorbebit Antichristi satellites euntes post

Eccle-

Ecclesiam, cap. 12. n. 16. *Et adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo.* Item sicut Israelitæ cantauerunt cum tympanis liberati à mari, & Pharaone Exod. 15. eodem modo Sancti cum triumphauerint de Antichristo, cantabunt canticum Moysi, infra cap. 15. n. 2. Item sicut Deus Israelitis alimenta præparauit in deserto, ita & pascet Ecclesiam in deserto, cap. 12. num. 6. *Vt ibi pascat eam diebus mille ducentis sexaginta.* Item sicut Iericho in septem tubis corruit, Ios. 7. ita regnum diaboli & Antichristi in septem tubis perimetur. Item sicut filij Israel peregrinati sunt per quadraginta duas mansiones, vt ingrederentur terram promissionis, ita & populus Christianus quadraginta duobus mensibus sub Antichristo opprimetur, vt infra cap. 11. n. 2.

TEXTVS EXPENDITVR.

IN hoc capite vidit S. Ioannes Angelum fortem descendentem de cœlo, amictum nube habentem iridem in capite, cuius facies erat sicut Sol, & pedes instar columnæ ignis, & vidit quod Angelus dextro pede insisteret mari, sinistro verò terræ, & Angelus hic fortis clamauit voce magna, & iurauit, tempus amplius non futurum; post clamorem Angeli consonauerunt septem tonitrua, & locuta sunt voces suas, post hanc loquelam tonitruum volebat Ioannes scribere, & prohibitus est. Tandem Angelus fortis tradit Ioanni librum deuorandum, quem in ore dulcem & melleum, in ventre amarum Ioannes degustauit.

COmmunis opinio per Angelum fortem accipit Christum, qui de cœlo descendit in Incarnatione, quæ sententia posset sequentibus confirmari. Primo quia Christus Dominus dicitur Angelus testamenti Malach. 3. Secundo dicitur Angelus fortis Esai. 9. 6. Tertio habet faciem sicut Sol, supra cap. 1. *Facies eius sicut Sol,* & in Transfiguratione legimus, quod facies eius resplenduit vt Sol. Quarto habet Iridem in capite, quia est Princeps pacis, vel per

iridem diuinitas exprimitur Zachar. 11. 10. Hæc diuinitas est in capite Christi. 1. Cor. 2. *Caput vero Christi Deus.* Habet pedes vt columnas ignis, quia est sicut Gigas ad currẽdam viam Psalm. 18. & Cant. 5. *Crura illius columnæ marmoreæ*, & Psal. 4. *Ego confirmaui columnas eius.* Hæ columnæ sunt instar ignis, Lucæ 12. *Ignem veni mittere.* Malach. 3. *Ipse enim quasi ignis conflans*, & supra cap. 1. *Pedes eius similes aurichalco sicut in camino ardenti.* Amictus est nube, id est humana natura, quam assumpsit Esai. *Solem nube tegam.* Habet pedem vnum super mare, & alterum super terram iuxta illud. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, & Marc. 4. à n. 39. Clamat voce magna. Ioan. 11. *Voce magna clamauit*, & cap. 7. *Iesus clamabat.* Matth. 27. *Clamauit Iesus voce magna* Item est leo, vt supra cap. 5. *Vicit leo de tribu Iuda.* His accedit, quòd in voce huius Angeli loquuntur tonitrua Apocalypsis, sic videtur quod sit Christus, qui dat libellum Apocalypsis apertum, & patefacit mysteria eius, nam est Apocalypsis Iesuchristi, vt supra cap. 1. n. 1.

Sed his non obstantibus verisimilius est hunc Angelum non representare personam Christi Domini, quia Christus non iurat per viuentem in secula seculorum, sed per se ipsum Deuter. 32. 40. *Leuabo ad cœlum manum meam, & dicam viuo ego in perpetuum*: ita Andreas Cæs. Rib. & Vieg. qui putant hunc Angelum esse vnum ex supremis Angelis, & olim existimaui esse S. Gabrielem, qui interpretatur fortis, & fortitudo Dei. Item quia in voce huius Angeli mysteria Apocalypsis loquuntur, Gabriel autem præpositus est ad explicationem mysteriorum. Dan. 8. 16. *Et ait, Gabriel fac intelligere istum visionem.*

Sed credo quod hic Angelus sit S. Michael, per quem reuelata sunt Ioanni mysteria Apocalypsis. Hic est Angelus fortis Ecclesiæ aduersus Luciferum & socios eius. Hic in columna nubis & ignis ducet Ecclesiam in desertum. Hic habet iridem, quia eius patrocinio Ecclesia pacem consequetur. Hic calcat mare & terram, quia omnia subij-

ciet

ciet Regno Christi. Hic est tanquam leo, quia est Princeps Angelorum, & in voce eius contremiscent Antichristiani. Hic clamat voce magna, vt supra cap. 7. n. 2. *Et clamauit uoce magna.* Hic est Angelus ille vestitus lineis, de quo legimus Dan. 12. *Cum eleuasset dextram & sinistram suam in cœlum, & iurasset per viuentem in æternum, &c.* Quod autem in parte superiori corporis habet nubē, & columnam ignis in pedibus, significat simul fuisse Angelum Israelitici populi, qui vixit sub nube, & populi Christiani qui viuit sub luce & claritate. Vel verius & magis ad rem, hæ sunt duæ illæ columnæ nubis & ignis, quæ præcedebāt filios Israel Exod. 14. & cap. 13. in fine. *Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo.* Hæc columna fuit S. Michael, & hæc eadem nouissimis illis temporibus ante septimam tubam ducet Ecclesiam, & liberabit à manu Antichristi. Hic Archāgelus est columna, sic obseruant peritiores Hebræi, nam in cap. 12. Dan. ibi: *Consurget Michael,* Hebraicè est verbū *Ghamad,* quod deducitur à radice *Ghamud,* id est, *columna,* ad significandum, S. Michaelem futurum eo tempore columnam firmissimam qua totum Ecclesiæ ædificium fulcietur. Est enim Aquila magnarum alarum, de qua infra cap. 12. n. 14, & Ezech. 17. 3. & ideò in præsenti apparet cum vestibus legationi conuenientibus tamquam supremus Dux populi Christiani, qui liberabit Ecclesiam à manu Antichristi.

Et cum clamasset, inquit textus, *locuta sunt septem tonitrua voces suas.* Verba sanè difficultate & nube plena. Sed dicamus, Hæc tonitrua sunt septem sigilla, quæ Agnus aperuit cap. 5. in quibus tota continetur Apocalypsis. Hæc sigilla ante clamorē Angeli fortis fuerunt Ioanni tonitrua, quoniam, vnumquodque sigillum apertum fuit in voce tonitrui, vt supra cap. 6. n. 1. *Et vidi quod aperuisset Agnus vnū de septem sigillis* (id est primum) *& audiui vnum de quatuor animalibus dicens tanquam vocem tonitrui, veni & vide.*

de. Post clamorem Angeli loquuntur tonitrua, id est, mysteria Apocalypsis inclusa sub sigillis nota fiunt Ioanni, id enim est, loqui tonitrua voces suas. Vndè laudandus venit Rupertus qui dicebat prophetias dum interpretationē non habent, esse tonitrua, cum voces significabiles non emittant, sed postquam apertæ sunt prophetiæ, tunc voces habent & loqui dicuntur. Ante clamorem Angeli, sigilla erant tonitrua, id est, soni & voces quasi inarticulatæ, eo quòd mysteria continerent nondū intelligibilia. Post clamorem Angeli locuta sunt tonitrua voces suas, id est, intelligibilia facta sunt Ioanni, qui simul ac locuta sunt, tentabat scribere, & meritò quia tunc interpretationem recipiebat, prohibitus tamen fuit, & solum ei permittitur per signa & notas explicationem reddere, alludit ad illud Daniel 12. *Signa librum vsque ad tempus statutum*. Ab hoc fōte dimanat id quod supra diximus de congeminatione, & repetitione visionum, nam primò S. Ioannes scribit visiones instar tonitruum sine vocibus, deinde easdem visiones post loquelam tonitruum repetit, sed sub signis & notis, quia explicatio clara in suum tempus seruata est.

Inquit textus. *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua*. Id est, obsigna quasi occultanda, id enim sonat verbum Græcū *Sphragizo*, quo vtitur originale, & hac de causa Angelus præcipit Ioanni deuorare librum, id est, vt mysterium auidè hauriat & perspiciat, ac memoriæ vtero recondat, nec palam scribat, sed per signa, sibi retinendo explicationem acceptam, & hæc fuit causa vndè liber esset dulcis & melleus in ore Ioannis, & amarus in ventre, nam in ore, id est, primo gustu & cognitione mysteriorum fuit iucundus & admodum delectabilis, sed dum prohibetur rem explicare, liber ille lancinauit, torsit, & amaricauit ventrem Ioannis. Verum statim tristitiæ eius occurritur, dum ei dicitur *Oportet te iterum prophetare Gentibus*, id est, in mundi fine venies iterum prædicare, & Apocalypsim explicabis, vndè infra cap. 14. n. 13. iterum audit eamdem vocem de

cœlo

cælo dicentem, *scribe*, quod aptius explicat originale Græcum in præsenti, dum dicit. *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, & post hæc scribes.*

Dices, signatus est liber Apocalypsis donec redeat S. Ioannes prædicare, ergo nemo poterit Apocalypsim explicare nisi vnus Ioannes, sic male dixi supra, mihi apertũ fuisse ostium à Domino. Dico quòd nemo poterit Apocalypsim perfectè explicare nisi S. Ioannes, cui ostiũ magnum apertum fuit in loquela tonitruum, mihi indigno & omnium minimo ostium paruum apertum est, ideò mea explicatio adhuc indiget supplementis, nam aliqua habeo sub nube à quibus vmbræ imaginum plenè non recesserunt. Vndè ego possum dici interpres Apocalypsis qui spem ad intelligentiam aperio, & quasi prænuncius diuini Vatis in hoc opere misericordiam consequutus sum.

Ex dictis sequitur venturum iterum S. Ioannem prædicare Gentibus, vt opinati sunt D. Ambros. lib. 7. in Lucam D. Ioan. Damasc. orat. de Transfig. Euthim. in Matth. cap. 43. Theoph. in Ioan. cap. vlt. Hyppol. Mart. orat. de consum. sec. Cathar. cap. 2. Gen. Metaph. in vita Ioan. Doroth. in synopsi. Ioach. in præsenti. Salmer. tom. 11. tract. 32. Sabel. lib. 1. de dict. mem. cap. 8. Pineda Monarch. lib. 10. cap. 38. §. 4. Quæ sententia multis est subnixa fundamentis. Primo verbis huius textus, *Oportet te iterum prophetare Gentibus*, & infra cap. 14. n. 6. *Et vidi alterum Angelum volantem per medium cæli habentem Euangelium Æternum.* Secundo ex eius Euangelio cap. 21. n. 23. vbi ad Petrũ Christus de Ioanne dicit. *Sic eum volo manere donec veniam.* Tertio ex illo Matth. cap. 16. n. 28. *Amen dico vobis, sunt quidam de hìc stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant filiũ hominis venientem in regno suo*, quod de Ioanne præcipuè dictum videtur, ex illo loco *Sic eum volo manere donec veniam.* Quarto quia corona martyrij Ioanni æquè debetur, & promissa est, ac cæteris Apostolis, ex illo Matth. 20. *Calicem meum bibetis*, & hactenus martyr non fuit, vndè videtur

detur martyrium in tempus nouissimum dilatum. Quinto, Enoch ex lege naturæ, Elias ex lege scripta vēturi sunt, ergo & Ioannes ex lege Gratiæ. Sexto Antichristus habebit tres prædicatores immundos infra cap. 16. à n. 12. ergo aduersus eos consurgent prædicti tres Prophetæ, vt infra cap. 14. à num. 6.

Sed iam veniunt aliqua notanda. Primo libellum apertum esse explicationem Apocalypsis, qua pleniſſimè fruetur Ecclesia in nouissimis diebus, & ideò apertura libelli ponitur post sextam plagam, nec ante locuta fuerunt Ioāni tonitrua, sed in ea parte, qua prophetia tangebat vltima tempora, tunc enim nouissimo illo tempore omnes audient verba libri signati, vt dixi in Synopsi & in cap. 6. ¶ Secundo nota, in textu modò legi *Librum apertum*, modò *libellum apertum*. Sed iam omnes obseruant in præsenti poni librum pro libello, nam originale Græcum in omnibus clausulis huius capitis legit *Biblaridion*, id est, libellum, nam est tertium diminutiuum nominis *Biblos*, & habet alia diminutiua: *Biblion Biblarion, Biblidarion*. ¶ Tertio nota plagas habere sua interualla temporis, ibi: *Sed in diebus vocis septimi Angeli*, quod fit ne de diuinæ iustitiæ seueritate, quæ sub septima tuba maximè exercebitur, conqueri homines possint, & ideò S. Michael nouis comminationibus iure iurando confirmatis omnia esse consummanda in septima tuba proclamat. Credo tamen quod S. Michael publicabit septimam tubam aduersus Antichristianos. ¶ Quarto nota quod si adhuc diceremus S. Ioannem morte consopitum occubuisse, tamen posset venire ad prædicandum, sicut Moyses venit in Transfiguratione Domini. ¶ De libro quem S. Ioannes deuorauit, est similitudo quædam Ezech. 3.

CA-

CAP. VNDECIMVM.

CONTINVATIO.

Hic textus prosequitur materiam capitis antecedentis, & multa in eo commemorantur, quæ ante septimam tubam, nouissimis temporibus aduenient, veluti Enoch, & Æliæ prædicatio, martyrium & resurrectio, ac tandem agitur de vltima tuba & plaga aduersus Antichristianos.

TEXTVS.

Et datus est mihi calamus similis virgæ, & dictum est mihi: surge, metire templū Dei, & altare, & adorantes in eo. Atrium autem quod est foris templum, eijce foras & ne metiaris illud: quoniam datum est Gentibus, & ciuitatem sanctam calcabūt mensibus quadraginta duobus. N. 1.

Dictum est Sancto Ioanni in fine capitis antecedentis, *Oportet te iterum prophetare Gentibus*, id est, iterum prædicabis in fine mundi, vndè conuenienter ei datur in præsenti calamus & virga ad prædicandum, & ad hanc prædicationem deuorauit librum, sicut Ezechiel qui deuorauit volumen, vt loqueretur filijs Israel mysteria Dei cap. 3. ¶ Calamus in præsenti metaphoricus est, & significat gratiam & aptitudinem dicendi iuxta illud Psalm. 44 n. 2. *Lingua mea calamus scribæ.* Ierem. 6. *Offeretis mihi calamum suauè olentem.* Hic calamus datus fuit Apostolis, *Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini*, & Luc. 21. *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere*, quia receperunt cognitiōnem mysteriorum Dei, Hic calamus.

vt

vt dicitur in hoc textu, est instar virgæ, quia cum facultate dicendi & docendi iuncta est auctoritas & summa potestas aduersus omnia mala. Hac virga quasi baculo muniuntur Apostoli, & hanc præcepit Dominus vt tollerent in via Marc. 6. *Et præcepit eis ne quid tollerẽt in via nisi virgam tantum*, & Regius Vates: *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* In hac virga Apostoli dæmonia eijciunt, & sanãt ægros Matth. 10. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite.* Hæc est virga directionis, imperij, prodigiorum Psalm. 44. *Virga directionis virga regni tui*, & ad Heb. 1. 8. In hac virga Moyses & Aaron imperabant mari & terræ, & faciebant signa Exod. 4. Hæc est virga vigilans quæ vocatur Deus Zach. 11. 10. *Et tuli virgam meam quæ vocatur Deus.* Hanc expetebat Regius Vates, *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion dominare in medio inimicorum tuorum.* Hanc ergo virgam accipit in præsenti S. Ioannes vt prædicet gentibus in nouissimis diebus, vt se obijciat Antichristianis, vt patefaciat mysteria Apocalypsis fidelibus nouissimis, vt confirmet Christianos in fide, & ostendat ficta esse miracula Antichristi, vt doceat Christum esse Diuinum Verbum, vt cõfortet fideles ad martyrium in verbo fidei. Recta est ergo metaphora calami, & virgæ, & hic calamus magis accedit ad calamum mensorium, de quo Ezech. 40. *Et in manu viri calamus mensuræ sex cubitorum & palmo*; & in visione imaginaria debet concipi quasi baculus & virga fortis.

Dicitur Ioanni, *Metire templum & altare, Atrium autẽ, quod est foris templum eijce foras, & ne metiaris.* Verba difficillima, quæ sic debent explicari: symbolica & imaginaria hæc templi & altaris dimensio significat non alijs reuelanda mysteria Apocalypsis à S. Ioanne, quam seruis Christi, vt supra cap. 1. *Apocalypsis Iesuchristi, quam dedit illi Deus palam facere seruis suis*, seruis Christi, qui non cedent Antichristo. Euangelium, & præsens prophetia non reuela-

reuelabitur Antichriſtianis, Matth. 7 *Nolite ſanctum dare canibus*. Quo ſuppoſito rectè proſequitur metaphorā calami mēſorij, nam virga illa diuini Verbi data Ioanni ad prædicandū, & ad reuelanda myſteria, non debet cū alijs menſurari, quàm cū fidelibus, qui per tēplū, & altare ſigni ficantur, iuxta illud Apoſtoli ad Corinth. *Templum Dei Sā-ctum eſt, quod eſtis vos*, & in præſenti templum, idem eſt, quod altare quaſi diceret, metire templum, id eſt, altāre, per altare intelligitur Eccleſia fidelium, vt ſupra cap. 8. n. 3. idque explicat textus in præſenti dum dicit, *Templum & altare, & adorantes in eo. Metire* ergo *templum & altare*, id eſt, dirige virgam tuam ad fideles. *Atrium autem ne metiaris*, id eſt, ne dirigas hanc dimenſionem & menſurā in infideles, ne calamum prædicationis, & virgam myſteriorum Dei mittas in canes. Hoc etiam præcepit Dominus Diſcipulis ſuis, cum eos miſit prædicare, Matth. 10. 5. *Hos duodecim miſit Ieſus præcipiens eis, dicens: in viam Gentium nè abieritis, & in ciuitates Samaritanorū nè intraueritis ſed ite potius ad oues, &c.* & cap. 13. n. 10. *Et accedētes diſcipuli dixerunt ei. Quare in parabolis loqueris eis? Qui reſpōdens, ait illis, Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum: illis autem non eſt datum*, & expreſſius Marc. 4. 11. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei: illis autem qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt*, quæ verba conſonant cum verbis noſtri textus, ibi: *Atrium autem quod eſt foris, ne metiaris*. Per *atrium* vniuerſi reprobi ſignificantur, maxime cum addiderit, *quod eſt foris*, vt infra cap. 22. n. 15. *Foris canes, &c.* & Amos 5. 16. *In cūctis quæ foris ſunt dicetur væ, væ*, id eſt, in omnibus reprobis. Dices, hoc atrium erat foris, quomodo dicit textus, *eijce foras*? Reſpondet Cornelius eſſe catachreſin, *eijce foras*, id eſt, reijce, repudia, noli illud metiri. Rectè in atrio figurantur reprobi, nam atrium ſemper eſt extra templū, nunquam altari cōterminū, vbi & canes ſolēt quieſcere & immūda facere, & loquitur hìc de atrio exteriori, & vltimo templi, nam erat aliud atriū Sacerdo-

tum, aliud Iudæorũ, aliud Gentium, & de hoc loquitur.

Quoniam datum est Gentibus, &c. Id est, ideò hoc atriũ, hi reprobi apti non sunt ad mensuram calami & virgæ diuinæ, quoniam dati sunt Gentibus, quia in vias Gentium abierunt, quia cedent Antichristo, vndè indigni sunt, qui inter fideles mensurentur. Hi, vt inquit textus, calcabunt Ciuitatem Sanctam, mensibus quadraginta duobus, id est, Antichristus & Antichristiani tanquam bruta animantia & feræ bestiæ varicitùs conculcabunt Ierusalem per tres annos & dimidium. Valdè laborant Doctores in explicãda hac sancta Ciuitate, plerisq; placet esse Romã, sed verius est esse Ierusalẽ, quæ à Prophetis dicitur Ciuitas sancta. Daniel. cap. 3. n. 28. *Et super Ciuitatẽ sanctam Patrũ nostrorũ Ierusalẽ*, & verba nostri textus expressa sunt in Euãg. S. Lucæ cap. 21. n. 24. *Et Ierusalem calcabitur à Gentibus.*

Notandum est in hoc versu non sine mysterio dici S. Ioanni *Surge, & metire templum*, nam vt inquit Ansbertus, qui templum Dei metitur, & mysteria Dei edocet, surgere debet à vita mundana, & si aliorum vitam prædicãdo informare desiderat, per torporis negligẽtiã in infimis desiderijs minime iaceat, nil quod proprium sit ex desiderio quærat, nihil quod in mundo est per amorem concupiscat; sed ad excelsa virtutum fastigia per exercitium operis assurgat.

N. 3. Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.

Hìc loquitur de duobus Prophetis, nam dicit inferiùs. *Quoniam hi duo prophetæ cruciauerunt eos.* Sed quinam futuri sint hi duo testes, siue Prophetæ, qui prædicabunt tẽpore Antichristi? controuersum est. Grauissimi viri opinati sunt, hos duos futuros Eliam, & Moysen, ita S. Hilar.

can.

can. 20. in Matth. S. Ambro. cap. 9. in Luc. P. Mald. cap. 17. Matth. sed dicendum est Eliam & Henoch venturos, vt probant Aretas, Ansb. Haym. Rich. Dionys. & Vatab. quos sequuntur Viegas & Rib. de his duobus constat non esse mortuos, & venturos esse; de Henoch. illud habemus testimonium Ecclesiastic. 44. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam*, de Elia multis in locis expressum est, & Eccles. 48. dicitur venturus restituere tribus Iacob, & Matth. 17. *Elias quidem venturus est, & restituet omnia*, & Malach. 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetem.* Hi cum S. Ioanne simul prophetabunt, tribus annis & sex mensibus.

Inquit textus, *Et dabo duobus testibus* nec aperit quid dādum sit his Prophetis. Verùm licet textus non exprimat quid dandum sit, accipi debet verbum *dabo* quasi absolutè & neutraliter, ita vt id intelligatur dandum, quod sequitur, nimirum quod prophetabunt. Sané dabit eis Dominus virgam suam, de qua loquebatur initio capitis; & est rectissima sequela, nam postquam S. Ioanni dictum fuit in fine capitis antecedentis, quod debebat iterū prophetare, statim ei datur virga doctrinæ, imperij & prodigiorum initio huius capitis, vndè nunc cum dicit, quod hi duo testes prophetabunt, etiam si non exprimat, & aperiat quid eis dandum sit, supplendum est ex antecedentibus dandam eis eamdem virgam & calamum.

Dicuntur testes hi Prophetæ quia Martyres futuri sunt, Martyres autem testes Christi appellantur Matth. 13. 9. *Tradent enim vos in concilijs, & in synagogis vapulabitis, & ante præsides, & reges stabitis propter me in testimoniū illis*, & Actor. 1. *Sed accipietis virtutem Spiritus Sāncti in vos, & eritis mihi testes.* Martyres enim suo sanguine testimonium perhibent veritatis, vt supra cap. 6. n. 9. *Animas interfectorum propter testimonium quod habebāt*, & Antipas qui occisus fuit propter Christum, testis fidelis nuncupatur, sup. cap. 2. n. 13. Vel aliter hi duo Prophetæ dicuntur te-

ſtes quia ſeruati ſunt ex lege naturæ & ſcripta, vt perhibeant teſtimonium veritatis ſimul cum Sancto Ioanne, de diuinitate Chriſti, & vt prædicent, omnes prophetias in Chriſto adimpletas fuiſſe, & ſe obijciant fictis miraculis Antichriſti.

Prophetabunt diebus mille ducentis, id eſt, tribus annis & dimidio, tantumdem regnabit Antichriſtus. Dan. 7. *Tradentur in manu eius vſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*, vt dicemus infra. Sed quomodo poterunt tam breui tempore per vniuerſum mundum prædicare? Doctores in hoc articulo mirè variant, ſeque diſcruciant. Mihi melior ſententia cedit exiſtimantium, nō vbique prædicaturos, ſed in his locis, in quibus Antichriſtus verſabitur, neque ſimul incedent, ſed ſeorſim, donec conueniant vbi ſimul martyrio coronentur, & credibile eſt, inquit P. Suarez, non ſolum verbo, ſed & ſcriptis, & diſcipulis eos vſuros ad confirmandos fidelium animos. Si curioſus roges: Quomodo permittet eos Antichriſtus? Dicā breuiter, id euenturum diuina prouidentia, quia eos Deus tuebitur, ſicut Moyſen & Aaron, vel aliter id proueniet ex admiranda eorum virtute, & potentia, cui nullus poterit præualere, nam vt inquit textus infra, ſi quis tentauerit eos lædere, exibit ignis de ore & præcepto ipſorum, & deborabit inimicos.

Amicti ſaccis prædicabūt, id eſt, cilicijs vt inquit Corn. Saccus enim rudis, & durus. & ſcaber carni iniectus eſt inſtar cilicij, vel cilicium ipſiſſimum eſt, ſimilis fuit veſtis Eliæ qui zona pellicea induebatur. 4. Reg. 1. & S. Ioannes Baptiſta ſimili veſte vtebatur. Matth. 3. Hoc enim genus veſtimenti iram Dei mitigat, & cæteros ad pœnitentiam prouocat, inimicosque terret. Miſera Babylon infra cap. 18. in veſtimentis purpuræ perit, cum theſauris mittitur in mare, cum epulonibus ſuis ſepelitur, ac tandem cum delicijs, & oblectamentis obliuioni traditur. Niniue autem in cilicio, ieiunio, & cinere miſericordiam conſecuta eſt,

&

& ipsius memoria in iudicio peccatores profligabit. Christus Dominus nudus in Cruce, & spinis coronatus omnia possidet, & hi Prophetæ in cilicio omniâ vincent.

Hi sunt duæ oliuæ & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes. N. 4.

Non sine mysterio dicit hos Prophetas terræ stare, id est, in Paradyso, falsa opinione decepti sileant, qui putant Paradysum esse intra orbem Lunæ. Hi Prophetæ tunc erunt duæ oliuæ, & duo candelabra, qui charitatis pinguedine, & scientiæ luce Ecclesiam collustrabunt. Erunt oliuæ in fertilitate doctrinæ & sanctitatis, vt *Zach. 4. Isti sunt duo filij olei splendoris.* Oliua est fertilis, & frugifera, & hominibus multum proficua, tales erunt Prophetæ eo tempore ad salutem Fidelium, Iudæorum, & Gentium, sanè in illo diluuio persecutionum erunt oliuæ pacis, & saluationis, & in tanta calamitate erunt candelabra, quia portabunt lucernam Christi in ea persecutione penè extinctam, vt supra cap. 6. n. 12. *Et Sol factus est niger.* Prædicatores debent esse oliuæ, qui populum suis irrigent doctrinis, decorent exemplis, & in fertilitate doctrinæ & sanctitatis excellentissimum olei liquorem effundat. Oliuæ arbores sunt semper virides, & magnum prouentum hominibus reddunt, sic debent Prædicatores numquam marcescere, fructum semper facere, & non in folijs virtutē reddere. Debēt vtique esse candelabra, quia lumen & veritatem circumferre tenentur, & in lumine doctrinæ, errorum tenebras depellere, & rectè Prædicator debet esse oliua & candelabrum, nam vbi est oleum Spiritus Dei, ibi nitet lux veritatis, & dum gratiæ, & doctrinæ pinguedine abundat, veram lucem cordibus audientium ministrat.

Prosequitur textus: *Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum*, id est, si quis hos

hos Prophetas tunc lædere tentauerit, ad eorum imperiũ consumetur igne cœlesti, sicut olim Elias deiecit de cœlo ignem Eccles. 48. 3. bis in Principes quinquagenarios cum militibus ad Eliam superbè accedentes. 4. Reg. 1. 12. Tertiò in suum sacrificium cum certauit contra prophetas Baal. 3. Reg. 18. 38. Nota quod exire ignem de ore Prophetarum, illud significat, videlicet, ad præceptum, & mãdatum ipsorum ignem descendere ad deuorandos inimicos.

Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat, &c. & potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga. Hanc potestatem claudendi cœlum habuit olim Elias. 3. Reg. 17. 2. S. Iacob. in sua epist. cap. 5. n. 17. item poterũt hi Prophetæ in diebus suæ prophetiæ percutere terram omni plaga in virga quæ data est eis, & poterunt conuertere aquas in sanguinem, vt olim Moyses Exod. 7. 20. Dignum quippe est, vt cœlum impijs claudatur, qui terram sceleribus polluunt, & quod terra percutiatur omni plaga, & perimantur peruersi Antichristiani, qui dæmonum commenta sequentur.

Et cum finierint testimonium suum: bestia quæ ascendit de abysso, faciet aduersus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Cum Prophetæ finierint testimoniũ suum, id est, post dies prædicationis, Antichristus, qui est bestia ascendens de abysso, vincet illos in præualentia victoriæ corporalis, non in alia præualentia aduersus fidem, nam nullo modo flectet eorum constantiam, sed vincet eos, occidendo illos, quia datum est huic bestiæ bellum facere cum Sanctis & vincere eos, vt infra cap. 13. n. 7. & Daniel cap. 7. n. 21. *Et cornu illud faciebat bellum aduersus sanctos, & præualebat eis.* Vincet ergo eos post prædicationem, nam tempore prædicationis nec minima ab vllo noxa poterunt noceri, nec pilo à quoquam lædi.

N. 8. Et corpora eorum iacebunt in plateis Ciuitatis

uitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus eſt.

Corpora Prophetarum Henoch & Eliæ exanimata, & mortua iacebunt inſepulta & inhumata in plateis, id eſt, per vicos, & plateas, per quas trahenda & raptanda ſunt, ludibrijs & contumelijs expoſita. Quæres, quo in loco iacebunt? Hic dicitur quod in Ciuitate magna. Certè hæc ciuitas erit Ieruſalem, nam ſtatim addit, *Vbi & Dominus eorum crucifixus eſt*, ſicut enim Chriſtus per plateas eius Ciuitatis fuit contumelijs affectus, ita & ſerui Chriſti qui diu fuerunt æternitatis candidati eiſdem afficientur iniurijs. Dicitur Ieruſalem Ciuitas magna, quia eſt ciuitas magni Regis, vt patet Matth. 5. 35. *Neque per Ieroſolymam quia ciuitas eſt magni Regis.* Appellatur Sodoma propter abominationes in quas peruenit, tum ſub antiquis Regibus Iuda, tum ſub gente Hotomana, præcipuè ſub Antichriſto, vndè ſoror Sodomæ appellatur, Ezech. 16. 49. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ*, imò & peior dicitur à Ieremia Thren. 4. *Maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum.* ¶ Dicitur etiam Ægyptus, quia imitatur ſuperſtitiones Ægypti, & ideò habitatores eius dicuntur familia Ægypti, Zachar. 14. à n. 17.

Et videbunt de tribus, & populis, & linguis, & gentibus corpora eorum per tres dies & dimidium, & corpora eorum non ſinent poni in monumentis. Corpora Prophetarum Henoch & Eliæ tribus diebus & dimidio iacebunt inſepulta, vt tanto temporis interuallo ab omnibus videantur & ne poſſit dubitari quin verè mortua ſint, præcipuè cum trahenda & raptanda fuerint per plateas Ieruſalem, ita vt ea ſæpe ſæpius allidant ad petras, fuſtibus que & lapidibus percutiant, vnde mirabilior erit eorum reſurrectio poſt tres dies & dimidium futura.

Et

Et inhabitantes terram gaudebunt super illos, & iucundabuntur, & munera mittent inuicem. Hæc lætitia Antichristianorum erit in signum raræ cuiusdam exultationis, quia hi duo Prophetæ sæpius eos cruciauerant prædicatione, correctione, verbis, minis, & plagis. Facient ergo ludos publicos, choræas, sibi mittent, recipientque mutuò munera, omnique lætitiæ genere iucundabuntur ex morte Prophetarum, sed post hanc exultationem, luctus & dolor illis accrescent, vt infra dicitur.

Et post dies tres & dimidium, spiritus vitæ à Deo intrauit in eos, & steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos. Spiritus vitæ est anima viuificans, & hi Prophetæ post tres dies & dimidium resurgent glorificati corpore, non amplius morituri. Casus hic adeò nouus terrefaciet incolas Ierusalem, præcipuè postquam Prophetæ denuò steterint supra pedes suos, propria sua molle consistentes. Spiritus autem vitæ dicitur à Deo descendere, quia in eo sumus, mouemur, & viuimus. Hic spiritus vitæ spiraculum illud est, quod in faciem primi hominis Deus inspirauit, Genes. 2. & Ezech. 37. n. 5. *Intromittam in vos spiritum & viuetis.*

Prosequitur: *Et audierunt vocem magnam de cœlo dicentē eis: Ascendite huc, & ascenderunt in cœlum in nube, & viderunt illos inimici eorum.* Non minus deterrebit Antichristianos resurrectio Prophetarum, quam hæc vox cœlestis. Hi Prophetæ Christum Dominum imitabuntur, qui tertia die resurrexit à mortuis, & rapientur in nube ad similitudinem Saluatoris; Actor. 1. Item in Ierusalem sicut Dominus noster.

N. 13. Et in illa hora factus est terremotus magnus, & decima pars ciuitatis cecidit: & occisa sunt in tetremotu nomina hominū septem millia, & reliqui in timorem sunt

missi

missi,& dederunt gloriam Deo cœli.

Frequentius interpretes hæc ad literam explicant. Ego vero intelligo in his verbis latere mysterium, & hîc non agi de Ierusalem, nam diceret *Ciuitatis magnæ*, non *ciuitatis* simpliciter. Item verba illa, *Et in illa hora* emphasim continent, nec minus id quod additur de numero septem millium. Quare existimo nomine Ciuitatis significari Antichristi Regnum, quod est Ciuitas diaboli. Hæc Ciuitas habebit decem Reges & Regna, vt infra cap. 17. Veniente Antichristo, vbi reuelatus fuerit perditus ille delebit omnes leges, & suam solummodo contendet stabilire, idque Deo permittente, vt infra cap. 17. n. 17. *Deus enim dedit in corda eorum, vt dent regnum suum bestiæ donec consummentur verba Dei.* Oportet enim, vt Saluator prædixit, vt graue malum in tempus eueniat, vt diuturnum eleuet, deleatq. Constituet ergo Antichristus Ciuitatem quamdam decẽ Regnorum, inter quæ vnum erit Iudæorum, ab initio Antichristum sequẽtium, & decem illæ tribus, de quibus Esdras lib. 4. cap. 13. n. 40. admittent Antichristum, sed in illa hora resurrectionis Prophetarum cadet decima pars Ciuitatis, id est, Antichristus omninò amittet decimam partem suæ Ciuitatis diabolicæ, nam Iudæi deserent militiam & malitiã Antichristi, & fiet terremotus magnus, id est, magna commotio, nam incipiet dissipari ciuitas illa diabolica, & etiam fiet commotio in ipsis Iudæis, ex quibus tunc occidentur septem mille propter fidem, & reliqui dabunt gloriam Deo, id est, cæteri ex eisdem Iudæis, ex eadem decima parte, qui martyrio coronati non fuerint, dabunt gloriam Deo, & conuertentur ad fidem, & multi martyrio coronabuntur. Hic numerus alludit ad numerum eorum, de quibus agitur lib. 3. Reg 19. *Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, &c.* quæ verba dicta sunt Eliæ, de cuius morte & resurrectione agitur in præsenti.

N. 14. Væ secundum abijt, & ecce væ tertium venit citò.

Sicut post quintam plagam dictum est cap. 9. *Væ vnũ abijt*, ita in præsenti. *Væ secundum abijt.* id est, sexta plaga sexti sigilli iam peracta est. *Et ecce væ tertium venit cito*, id est, septima plaga venit citò post sextam. In sexta plaga occidentur Elias & Henoch. In septima peribit Antichristus, cadent Babylon & ciuitates Gentium, & credo quòd septima plaga statim post sex menses aduentabit, quia Elias & Henoch ante sex menses Regni Antichristi incipient prophetare, sic sex menses præcedent mortem Antichristi in suo martyrio.

N. 15. Et septimus Angelus tuba cecinit: & factæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes, factum est regnum huius mundi Domini nostri, & Christi eius, & regnauit in secula seculorum.

In tuba S. Michaelis factæ sunt voces magnæ in cœlo, quod sanè significat, hanc plagam à cœlis aduenturam, & cœlicos ciues expugnaturos Babylonem, & Antichristũ, sic infra cap. 16. n. 17. in septima phiala dicitur, *Factum est*, & vox ibi exit à throno, id est, à cœlo, vt supra dixi cap. 3. in fine. In hac ergo tuba regnum huius mundi obediet Deo & Agno, & tunc suscitabit Deus regnum quod non dissipabitur, Dan. 2. 44. & regnum, & potestatem, & magnitudinem regni dabit Sanctis Ecclesiæ in æternas fœlicitates. Dan. cap. 7. n. 18. 22. 27. In hac tuba auferetur potentia omnium tyrannorum, Dan. cap. 7. n. 26. *Et iudicium sedebit, vt auferatur potentia, & conteratur, & dispereat vsq; in finem.* In hac tuba ciuitates Gentium, id est, Regna super-

perborum peribunt, & fundamenta peccatorum, errorũque fulcimenta dirumpentur, vt infra cap. 16. n. 17. *Et septimus Angelus effudit phialam suam in aerem*, & inferius, *Et ciuitates Gentium ceciderunt* & Babylon Antichristianorum Metropolys secabitur in tres partes, infra cap. 16. n. 19. quod qualiter intelligendum sit, fusè explicaui supra cap. 9. n. 13. In hac tuba, & voce Archangeli fugient insulæ & montes, cap. 16. n. 20. *Et omnis insula fugit, & montes non sunt inuenti*, quia regna, & reges superbi postrabuntur. Insula epitheton est Regum, qui in mari huius mundi eminent, Zachar. 26. 15. *Cum occisi fuerint, in medio tui cõmouebuntur insulæ*, & n. 18. *Turbabuntur insulæ in mari.* Per montes significantur regna, & potentes, Baruch. 5. *Constituit enim Deus humiliare omnem montem.* In hac tuba, & phiala veniet terremotus magnus cap. 16. n. 18. *Et terremotus factus est magnus, qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt super terram*, quia fiet strages maximè cruenta in Antichristianos, qui instar musti calcabuntur in lacum iræ Dei, vt infra cap. 14. n. 20. & cap. 19. in fine. Tunc dispersidet Dominus nomina idolorum cum ciuitatibus Gentilium; & non memorabuntur vltrà, Zachar. 13. 2. & proijciet equos vitiorum, euelletque lucos, & conteret superbiam Gentium Esai. 17. 9. & 33. 12. Ezech. 6. 6. Mich. 5. 11. Solumque permanebit Ciuitas sancta super Ecclesiam fundata, Dan. 2. 44. & erit regnum Christi Domini Zach. 14. 9. *Et erit Dominus Rex super omnem terram: in die illa erit Dominus vnus, & erit nomen eius vnum*, & templũ aperietur, id est, per totum Orbem dilatabitur Ecclesia, Eccles. 44. *Ostende Domine Israel templum*, & videbitur arca in templo, quia populus Israel tunc conuertetur ad Fidẽ Catholicam.

Inquit textus: *Et viginti quatuor seniores, &c. ceciderunt in facies suas, & adorauerunt Deum dicentes Gratias agimus tibi Domine Deus Omnipotens, &c. quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti. Et iratæ sunt Gentes & aduenit*

ira tua, & tempus mortuorum iudicari. His verbis significatur lætitia, & gaudium, quo SS. Apostoli, & Prophetæ de impiorum vindicta gestient, ex quibus Dei gloria magis illustratur, & Ecclesiæ principatus fulcitur, iuxta illud Psal. 57. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam*, & infra cap. 18 n. 20. *Exulta super eam cœlum, & sancti Apostoli & Prophetæ, quoniam iudicauit Deus iudicium vestrũ de illa.* ¶ Qui sint viginti quatuor seniores, habes supra cap. 4. n. 4. ¶ Ea verba: *Qui es, & qui eras, & qui venturus es*, explicata sunt cap. 1. n. 4. Congaudent viginti quatuor seniores, & gratias Christo Domino referunt de imperio, regno, & pace Ecclesiæ, de exterminio & euersione Antichristianorum, eique gratulantur quia regnauit, & quia irascuntur Gentes. Dices imò debebant dolere de ira Gentium in Redẽptorem? Sed hoc fit, vt impleatur prophetia Dauid Psal. 98. *Dominus regnauit, irascantur populi*; non gaudent de ira Gentium, sed de circumstantia temporis, quod iam aduẽtauit; nã ad hoc regnum debet præcedere Gentiũ conspiratio. Hic est ordo iustitiæ diuinæ, vt nulli Deus irascatur, nisi illi qui ei resistit, & irascitur, vndè Psalmista cum dixisset: *Tu terribilis es, & quis resistet tibi*, continuò subiungit, *Ex tunc ira tua.* ¶ Gratias etiam agunt, quia aduenit tempus mortuorum iudicari, id est, quia appropinquat post septimam tubam tempus vniuersalis resurrectionis.

N. fin. Et apertum est templum Dei in cœlo: & visa est arca testamenti eius in templo eius, & facta sunt fulgura, & voces, & terremotus, & grando magna.

Olim existimaueram in hac apertura templi, & visione arcæ, nil aliud adumbrari, quam cognitionẽ mysteriorum in illo statu pacis Ecclesiæ. Sed verius est in hac apertura templi post septimam tubam præfigurari Ecclesiæ

pacem

pacem, & regnũ, & quia Iudæi conuertendi sunt ad Fidẽ Catholicã, ideò addit, quod arca videbitur in tẽplo, id est, in Ecclesia, iuxta illud Oseæ cap. 1. n. 11. *Et congregabũtur filij Iuda & filij Israel pariter: & ponent sibimet caput vnum*, per filios Iuda præfigurantur filij Christi, Christiani omnes. ¶ Item locus iste ad literã aptari potest Deiparæ Sanctissimæ, & eius præseruationi ab omni macula originalis peccati, nam fuit arca, quæ clausit Saluatorem, Psal. 131. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* Vndè sicut arca Noe præseruata est in diluuio vniuersali, ita & arca hæc in diluuio peccati originalis.

Et facta sunt fulgura, & voces, & terremotus, & grando magna. Hæc est plaga septimæ tubæ, nam quæ antecedenter dicuntur à n. 15. per anticipationem posita sunt, & hæ calamitates præcedent Regnum Christi & Ecclesiæ. Iterum tamen repetas id quod supra dixi cap. 8. videlicet easdem plagas cõtineri in tubis, & in phialis, sic infra cap. 16. à n. 18. in septima phiala facta sunt fulgura, & voces, & terremotus, & grando vehemens, quæ verba cum verbis huius textus concordant.

CAP. DVODECIMVM

NOTATIO.

OMne quod sequitur vsque ad caput vigesimum pertinet ad sextum sigillum, & millennarium mundi, & omne est hysterologia, & repetitio antecedentium, cum enim vna ex præcipuis huius Prophetiæ partibus consistat in sigillo sexto, sub quo erit maior Ecclesiæ perturbatio, ideò necessarium fuit res & imagines congeminare, vt aliæ ex alijs enucleari possint. Materia autem huius capitis reuocatur ad caput sextum. n. 12. & agitur de persecutione illa magna Ecclesiæ sub Antichristo, & pariter de prælio magno S. Michaelis cum dracone, ac tandem de Iudæorum conuersione.

TEX-

TEXTVS.

N. 1. Et signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.

HÆc mulier est Sancta Mater Ecclesia, vt bene perceperunt Andr. Cæsar. Bed. Prim. Rich. & Vieg. & vide in lib. 4. Esdr. cap. 10. n. 44. Dicitur mulier, vel quia Christo sponso iuncta est, ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnũ est, ego autem dico, in Christo & in Ecclesia*, cum in hoc sacramento mysticè contineatur Christi & Ecclesiæ vnanimis & indissolubilis coniunctio cap. debitum de bigam. Vel mulier dicitur, quia in multiplicem quotidie prolem crescit, atque adeò eam appellamus nostram Matrem Ecclesiam ad Gal. 4. 26. & 27. *Lætare sterilis quæ non paris*, & Psal. 112. n. 9. *Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem*, & ex illo, *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Dicitur Ecclesia signum magnum, quia est signũ ostentationis Dei, Esai. 5. 26. *Et eleuabit signum in nationibus*, & 49. 22. *Ad populos exaltabo signum meum.* Vel dici potest cum Cornel. signum magnum in præsenti non esse epytheton Ecclesiæ, sed symbolum ipsius visionis, quasi dicat: *Signum magnum apparuit in cœlo*, id est, prodigiosum portentum, mulier scilicet amicta Sole, stellis coronata, calcans Lunam, & parturiens filium.

Hæc mulier erat *Amicta Sole*, id est, *induta Sole*, vt legit Arabicus, & conuenientius quidem si phrasim Græcam sequamur *Peribeblemene ton ilion*, id est, *circum amicta Sole*, quia tunicam ex Sole induit quasi sacco vestita ex ipso Sole, vt supra cap. 6. n. 12. *Et Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus*, & Psal. 103. n. 2. Sol est Christus, vt ibi adnotaui. Ecclesia hoc Sole cingitur, & eam Christus instar vestis circumdat, & hanc vestem induunt fideles, Apostolo

lo dicente, *Induimini Dominũ Iesumchristum*, idque maxime fiet sub Antichristo, vbi Saluator noster non clarebit sacrificijs publicis, sed quasi in membris suis denigratus apparebit apud Antichristianos, sed tunc fortius & ardẽtius cinget Ecclesiam & sponsam suam, & erit thronus eius sicut Sol in conspectu eius, & sicut Luna perfecta in æternum, Psalm. 88. n. 37.

Luna sub pedibus, schema est & significatio magnæ oppressionis filiorum Ecclesiæ, quasi tunc hæc mater eos foueitura sit, sicut aquila pullos, & in præsenti vtitur synecdoche, nam ponit totam Ecclesiam (cuius symbolũ est Luna) pro filijs nouissimis, vt supra cap. 6. n. 12. *Et Luna facta est sicut sanguis*, tunc enim congregatio fidelium multo sanguine purpurabitur; scriptum est enim, quod draco insidiabitur calcaneo mulieris, Gen. 3. nam in nouissimis diebus dæmon omnes vires suas exercebit contra fideles, vt infra n. 4. sed non præualebit, vt infra n. 9. *Et proiectus est draco*, scriptum est enim quòd mulier conteret caput draconis, calcaneo eius insidiantis, Gen. 3. Per calcaneum & pedes significantur extrema tempora, vt explicant interpretes. ¶ Nota, quòd Andr. Cæsar. per Lunam intelligit synagogam, & gentem Iudæorum, & tunc posset tentari, quod illo tempore Iudæi venient ad pedes Ecclesiæ, & fortissimè certabunt pro Christo.

Duodecim stellæ quibus mulier coronatur, duodecim intelliguntur Apostoli, vt benè prodiderunt Pannonius, Vieg. & Corn. sunt in capite quia Principes fuerunt Ecclesiæ, non solum quia primi, sed propter prærogatiuam, & dignitatem mirabilis, & miraculosæ illorum vitæ & prædicationis, item quia Ecclesiam fundauerunt, & se ipsos veluti fundamẽta in eius structura posuerunt, & post summum Christi Iesu angularem lapidem, vna cum illo Ecclesiæ fabricam sibi incumbentem ad cœlos eleuarũt cap. fundamenta de elect. in 6. vndè nil mirum si videantur à Ioanne tanquam stellæ Ecclesiam coronare. Sunt enim

stellæ

stellæ quia fuerunt Primi Episcopi supra cap. 1. n. 20. *Septem stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum*, vel quia fuerunt Primi Magistri. Dan. 12. *Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*, vel quia lex Euangelica eorum doctrina, & miraculis illustrata, illuminataque fuit, Baruch. 3. 34. *Stellæ dederunt lumen in custodijs suis.*

N. 2. Et in vtero habens clamabat parturiens, & cruciabatur vt pariat.

Hæc designant magnam Ecclesiæ tribulationem sub illis diebus, & quod habebit dolores parturientis, maxime in partu mystico Iudæorum, qui tunc regenerādi sunt per baptismum, iuxta illud Paul. ad Gal. *Filioli, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis*, & alibi 1. Cor. 4. *Per Euangelium ego vos genui in Christo Iesu.* Hunc filium, populum scilicet Iudæorum Ecclesia semper habuit in vtero desiderij sui, vt eum pariat ad fidem, ad cultum, ad Catholicam religionem, vt eum lucrifaciat, vt eum pariat sponso Christo. Per vterum mens & memoria capitur, Psalm. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te.* Parturire nil aliud est, quam cruciari ante partum. Psalm. 47. *Dolores vt parturientis.* Tunc enim Ecclesia clamabit parturiens, id est laborabit vt pariat, vt perficiat hunc partum mysticum, & simul clamabit in atrocitate illius persecutionis & in morte filiorum, iuxta illud Ierem. 4. 31. *Vocem enim quasi parturientis audiui, angustia, vt puerperæ. Vox filiæ Sion inter morientes, expandentesque manus suas: væ mihi quia defecit anima mea propter interfectos*, sed tandem implebitur Prophetia Esai. 66. 8. *Parturiuit, & peperit Sion filios suos*, qui locus ad nostrum maximè alludit vt videbimus infra, n. 5.

N. 3. Et visum est aliud signum in cœlo, & ec-

ce

ce draco magnus rufus habens capita ſeptem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata ſeptem.

Draco hic, vt ex ſe patet, eſt dæmon, de quo Pſalm. 103 *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei*, eſt ſerpens ille antiquus omnibus animantibus callidior Geneſ. 3. idque textus explicat infra n. 9. *Et proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & ſatanas.* Dicitur draco propter nocendi maliciam, ſerpẽs antiquus ob fallendi aſtutiam, diabolus propter ſtatus ſui caſum, ſatanas propter obſtinatam aduerſandi voluntatem. Dicitur rufus quia ſanguinolẽtus, eſt enim homicida ab initio Ioan. 8. 44. & Pſalm. 9. n. 8. *Sedet in inſidijs.* Dicitur magnus propter tumorem elationis & ſuperbiæ Iob. *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Eſai. *Superbia eius, & arrogantia eius pluſquam fortitudo eius.* In præſenti apparuit in cœlo, non Empyreo, vel ſidereo, ſed in aereo, cœlum in hac Apocalypſi ſæpe ponitur pro aere, vt infra cap. 19. n. 17. & apud Conſultos idem ſignificat, l. 1. ff. de acquir. poſſeſ.

Circa ſeptem capita magnũ eſt apud interpretes certamen. P. Alcazar putat eſſe ſeptem nefarios ſpiritus, quos SS. Patres dæmoni adſcribunt, & noſtra Mater Eccleſia videtur hæc vitia ab his draconis capitibus depromere. Sed hæc interpretatio myſtica eſt. Suaues ſunt qui tentãt, per hæc capita ſignificari famoſiores heraſiarchas, nec video qualiter rem componant cum numero ſeptennario, nec cum diadematibus, diadema enim ſignum eſt regni, & imperij. 1. Machab. 1 n. 8. Veritati magis accedunt, qui per hæc capita intelligunt tyrannos Reges qui ſeptem mundi ætatibus regnauerunt, & regnabunt, vt primus ſit Cain in prima ætate, ſecundus Nemrot in ſecunda ætate, tertius Pharao in tertia ætate, quartus Balac in quarta ætate, quintus Nubuchodonoſor in quinta, ſextus Romanus

Imperator, septimus Antichristus, sed adhuc hæc interpretatio multum generalis est.

Quare dicendum est, per hæc septem capita significari quatuor regna, in quibus draco ab origine mundi imperitauit. Hæc regna apud Daniel. habent septẽ capita in cap. 7. vbi inquit quod primum regnum est quasi leæna, secũdum quasi vrsus, tertium quasi pardus habens quatuor capita, & quartum regnum omnibus maius, habens suum caput. Addit Daniel. n. 17. *Hæ quatuor bestiæ: quatuor sunt regna*, communi Doctorum consensu recepta sunt pro regnis Assyriorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum, sed certè hæ bestiæ cum septem capitibus designant omnia mundi regna, in quibus draco regnauit à principio in mundi finem.

Prima bestia quasi leæna denotat Cain cum Gigantibus, hoc primum fuit diaboli regnum, æquiparatur leænæ cum alis aquilæ, tum propter luxuriam Gigantum, tum propter ferocitatem, tum propter magnitudinem Gigantum. Secunda bestia tanquam vrsus designat regnũ Chanaam, & Ætiopum post diluuium, hoc regnum præcessit Babylonios, vt obseruat Balduinus in §. itẽ ea quæ ex hostibus inst. de rer. diuis. Ætiopes vrso similes sunt tũ in colore nigro, tum in deuoratione sanguinis humani. Tertia bestia quatuor regna Assyriorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum exprimit, sunt enim in vna bestia quatuor capita, nam quatuor diuersæ nationes in hoc regno successere, nam & Romam vocamus Babylonem, quia successit in regnum, & rectè æquiparatur pardo, quia sicut hoc animal habet varietates coloris, ita & tertium regnum Babylonicum varium fuit in diuersitate Gentium, & nationum. Quarta bestia Danielis maior est omnibus, nec aliquod speciale nomẽ habet, sed credo quod simul sit leæna, vrsus, & pardus, nam in se recapitulabit omnia vitia quæ fuerant in primis regnis, nam inquit idem Daniel. n. 27. *Bestia quarta, regnum quartum erit in terra, quod maius*

erit

erit omnibus regnis, & deuorabit vniuersam terram, & conculcabit, & comminuet eam, en quomodo erit leæna in deuorando, vrsus in conculcando, pardus in comminuendo.

Ex his sequitur bestiam ascendentem de mari in cap. 13. Apoc. esse hoc quartum regnum. Probatur nam ibi dicitur quod bestia ascendit de mari, de mari etiam ascendunt bestiæ Danielis. Item bestia apud Danielem regnum designat, necesse est idem significet in Apocalypsi. Item in d cap. 13. n. 2. bestia illa marina similis est pardo, vrso, & leoni, in quo intendit significare quartum regnum, & quod sit maius prioribus, eo quod simul habeat proprietates harum bestiarum, quarum vnaquæque vnam tantũ bestiam representabat. Rursus deuoratio in quarta bestia Danielis, designat os leonis bestiæ Apocalypsis; conculcatio in Daniele, indicat pedes vrsi in d. cap. 13. & comminutio quartæ bestiæ apud Danielem, hoc ipsum exprimit quod similitudo pardi in dicta bestia marina Apocalypsis, nam pardus aptissimum animal est ad comminuendum, vti ex Plinio accepimus, & omnia quidem concordant, si repetas verba Danielis d. cap. 7. n. 7. ibi: *Et ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis, & fortis nimis: dentes ferreos habebat magnos, comedens, atque comminuẽs, & reliqua pedibus suis conculcans*, Vbi animaduertis in hoc regno esse dentes leonis, & pedes vrsi, de quibus in bestia marina Apocalypsis.

Dices quando consurget hoc quartum regnum, certè iam surrexit in impijssimo Turca, cuius regnum paulatim & sensim, & vt dicitur, alluuionis iure siue iniuria totum ferè Orbem ambedit, donec totam terram comminuat, & pedibus conculcet, tunc enim hoc regnum præficiet decem reges in toto Orbe, qui subditi sint magno ipsius imperij Monarchæ, qui vocatur apud eos Rex Regum, & Dominus Dominantium, vt infra cap. 17. *Quæ habet regnum super Reges terræ*.

Quibus ita constitutis iam apparet, quid sit in præsenti draconem habere septem capita, id est diabolus habuit,

habebitque septem regna sibi subiecta, Gigantum, Ætiopum, Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum, & Turcarum. Capita enim regna significãt, vt infra cap. 17. n. 9. Vndè infra cap. 13. n. 1. dum dicitur bestiam marinã habere septem capita, vult significare, quartum regnum eamdem ac Luciferum habere potestatem, vt sicut Lucifer bestia magna habuit potestatem super hæc septem regna, & dictus est Princeps huius mundi, & omnium regnorum eius, ita & bestia quarta siue Turcicum regnum futurum sit huius mundi Princeps, nam vt dicitur d. cap. 13. n. 2. *Dedit illi draco virtutem suam, & potestatem*, & additur in originali Græco, *& thronum*.

Ex dictis lucem accipit textus in d. cap. 17. Apoc. n. 9. ibi: *Septem capita septem montes sunt super quos mulier sedet, & Reges septem sunt, quinque ceciderunt, vnus est, & alius nondum venit*, cum dicit septem capita esse septem montes, clarè demonstrat capita esse regna, vt benè obseruat P. Basil. Ponce, variar. disput. 1. p. q. 6. expositiua cap. 3. regna montibus æqui parantur propter elationem, & altitudinem Ezech. cap. 34. n. 6. *Errauerunt greges mei in cunctis montibus*, vbi sermo est de populo Dei qui dispergebatur per diuersa regna, & Baruch. cap. 5. n. 7. & Esai. *Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium*, id est Ecclesia, & signum eius collocabitur super altitudinem regnorum, & quod additur in d. cap. 17. *Et septem Reges sunt*, rem magis explicat, nam designat Reges horum regnorum, Reges Primarios horum regnorum, vndè & in præsenti ponuntur diademata super septem capita draconis vt designentur regna & Reges. Hi septem Reges sunt Cain, Canaam, Nemrot, Darius, Alexander, Augustus, Antichristus, quinque ceciderant cum regnis, vnus erat Augustus, cuius regnum tempore quo scribebat S. Ioannes vigebat, vel viuebat in dignitate imperatoria. Vel vnus erat Rex Romani Imperij quod fuit sextũ, & nondum erat extinctum, & alius nondum venit, id est

Anti-

Antichriſtus, qui ſeruatur pro capite vltimi regni.

Additur in d. cap. 17. *Et beſtia quæ fuit & non eſt, & ipſa octaua eſt, & de ſeptem eſt, & in interitum vadit*, id eſt dæmõ qui eſt beſtia per antonomaſiam, erit octauus Rex Regni quarti & Conſtantinopolys, nam extincto Antichriſto præficiet alios decem Reges in mundo, qui poteſtatem beſtiæ tradent, id eſt diabolo, & hi Reges Conſtantinopolym deuaſtabunt, diabolus dicitur quòd ſit de ſeptem Regibus, quia fuit omnibus illis incorporatus, vel quia in illis extitit quaſi totum in ſuis partibus; vel fuit de ſeptem in ſuperbia & malitia, vel quia ipſe etiam Rex nuncupatur Iob. cap. 41. n. 25. *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*, ſed ibit in interitum, ſolus Deus fuit, eſt, & futurus erit, vt ſupra cap. 1. n. 8. diabolus fuit, & non eſt, nec erit in perpetuũ Ezech. cap. 28. n. 19. ¶ Cornua decem ſunt Reges, Daniel cap. 7. n. 14. *Porro autem cornua decem ipſius regni decem Reges erunt*. Hæc cornua ponenda ſunt in vltimo capite draconis, ſiue in quarta beſtia. Dan. cap. 7. n. 7. nam vt ſupra dixi in vltimo hoc Turcico regno fiet diuiſio totius orbis in decem Reges, vt infra cap. 17.

Et cauda trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & miſſit eas in terram, & draco ſtetit ante mulierem quæ erat paritura, vt cum peperiſſet, filium eius deuoraret. N. 4.

Cauda draconis eſt Antichriſtus, ponitur in cauda quia in fine nocebit, in cauda diabolus potentiam habet, vt ſupra cap. 9. n. 19. in hac cauda deijciet tertiam partem ſtellarum, per ſtellas intelligit Chriſtianos, qui Antichriſti ſuggeſtioni, & tormentis cedent, & adhærebunt Antichriſto, qui tanquam ventus magnus eos depellet à ſalutifera Eccleſiæ ſicu, vt ſupra explicauimus cap. 6. n. 12. vltimo notabili. Poſſet etiam tentari hunc caſum ſtellarum eſſe illuſtrium

illustrium Sanctorum, qui martyrio coronabuntur, quos Antichristus mittet in terram vt occidantur, vt infra cap. 13. n. 7. *Datum est illi bellum facere cum sanctis, & vincere eos*, & tunc dicendum est supra cap. 6. n. 13. grossos illos nō esse malos sed bonos ex cap. 24. Ierem. n. 5. *Sicut ficus hæ bonæ, sic cognoscam transmigrationem Iuda.* Hìc tandem illud animaduertendum est multo duriorem stragem imminere Antichristianis, quam fidelibus, horum tertia tantum pars peribit, illorum tertiam partem premet & vastabit vnaquæque plaga, donec septima omnes conterantur, & occidantur.

Et draco stetit ante mulierem quæ erat paritura, id est diabolus in fine mundi stabit ante Ecclesiam, & alludit ad locum Zachariæ cap. 3. n. 1. *Et Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei.* Stabit, id est vigilabit, quia tunc Lucifer præcipuè vigilabit in perditionem hominum eos à fide auocando, vt infra n. 12. ¶ *Stetit ante mulierem quæ erat paritura*, partus hic, vt supra dixi, est Iudæorum & Gentiū, partus ad cultum & religionem. ¶ *Vt cum peperisset, filium eius deuoraret*, id est, vt statim ac Ecclesia eos regeneraret per conuersionem & baptismum, eos deuoraret nouis suggestionibus, reuocando eos iterum ad Iudaismum, & Gētilitatem, & ad hoc stabat, & vigilabat draco ante Ecclesiam. ¶ Olim existimaui hunc filium esse populum Israel conuertendum in mundi fine, nam à Prophetis Filius Dei nuncupatur Oseas cap. 11. n. 1. *Puer Israel & dilexi eum, & ex Ægypto vocaui filium meum*, & cap. 1. *Et concepit, & peperit filium*, & inferius, *Et dicetur eis Filij Dei viuentis, & congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter*, verum etiā de gentibus hoc dici debet, ad quas transit Euangeliū

N. 5. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes, & raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius.

Filius

Filius hic conuersus & regeneratus ab Ecclesia erit masculus, quia conuersi tunc constanter aduersa sustinebunt, & forti & constanti animo martyrium obibunt sub Antichristo, & ideò recturi sunt gentes in virga ferrea, quod pertinet ad martyres vt supra cap. 3. n. 27. & infra cap. 19. & 20. Hic filius martyrio coronabitur, vt infra. n. 11. *Et non dilexerunt animas suas vsque ad mortem.* Rapietur hic filius ad Deum, & ad thronum eius, id est ad cœlestẽ gloriam, thronus Dei cœlum est Matth. 5. 34. *Neque per cœlum: quia thronus Dei est*, & supra cap. 3. n. 21. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo*, ad Hebr. 2. *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* Ecclesia tunc dolores suos cum filio edito fœliciter compensabit, & ipsi Martyres incredibili gaudio sustinebunt tormẽta propter possessionem filiationis, ad Rom. 8. *Et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes.*

Et mulier fugit in solitudinem vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi pascant eam diebus mille ducentis. N. 6.

Hic tangitur Exodus Ecclesiæ, de quo egimus supra cap. 10. nam ante mundi finem debet præcedere exitus iste, de quo nos admonet Apostolus 2. Thes. 2. *Ne quis vos seducat vllo modo, quoniam nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, &c.* inquit enim Apostolus non venturum diem iudicij, nisi venerit priùs hæc profectio Ecclesiæ sub illo homine peccati, id est Antichristo, & hoc mysterium hucusque occultum fuit, neque aliũ sensum admittere possunt verba Pauli, vt alio loco adnotaui. Fugiet Ecclesia in solitudinem, id est, in desertum Oseas 2. 14. *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem*, sed hæc fuga eorum erit tantum, qui congregati fuerint in Vrbe Roma, & in Italia, nam infra n. 17. dicitur, quod

quod iratus draco in mulierem fugientem & non apprehensam, abijt facere prælium cũ reliquis de semine eius, vbi notanda sunt verba *de semine eius*, quæ satis exprimunt fideles ipsos, filios Ecclesiæ.

N. 7. Et factum est prælium magnum in cœlo Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli eius, &c.

Omnia quæ sequuntur vsque ad num. 13. explicata sunt supra cap. 7. & cap. 8. Aliqua tamen notanda erunt. Primò S. Michaelem esse Principem omnium Angelorum, sub quo militant cæteri Angeli, ideò dicitur in præsenti *Michael & Angeli eius*. Lucifer verò est princeps dæmonum, ideò addit *draco & angeli eius*, & hìc S. Michael se obijcit draconi, tanquam dux duci, & in præsenti fit allusio ad prælium antiquum Luciferi cum deiectus fuit cœlo; tempore Antichristi renouabitur hoc præliũ permissione diuina, & consurget pro filijs Ecclesiæ S. Michael, vt constat Dan. 12. *In tempore autem illo consurget Michael qui stat pro filijs populi tui*, vide Viegas in præsenti comment. 1. sect. 11.

Verba illa: *Neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo*, significant, dæmones amplius non turbaturos filios Dei & Ecclesiæ, & in his verbis, vt inquit Cornelius, committitur metonymia, quia ponitur continens pro contento, locus pro locato. Multoties dæmon locum sibi vendicat in Christianis, dum prauis suggestionibus, & malignis persuasionibus ipsorum mentes occupat, & oculos excæcat, cui resistamus fortes in fide, & charitate Saluatoris nostri, dicit enim Apostolus. 4. ad Ephes. *Nolite locum dare diabolo*, & Iacob. 4. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis*, vtinam veniat tempus illud, quo non est habiturus locum in cœlo,

lo, id est, in Ecclesia, & in filijs eius. Ecclesia cœlum est, quæ instar cœli coronatur Sole, Luna, & stellis, vt supra cap. 12.

Verba illa: *Nunc facta est salus, & virtus, & regnũ Dei nostri, & potestas Christi eius*, significant regnum vniuersale Christi, & Ecclesiæ eius, vt supra cap. 11. n. 15. *Factum est regnum huius mundi Domini nostri, & Christi eius.* Quæ sequuntur verba: *Et non dilexerunt animas suas*, hoc significant, martyres illos nouissimos non dilexisse vitam temporalem, imò eam pro Christo fortiter morti obiecisse, anima ponitur pro vita Ioan. 12. *Qui amat animam suam perdet eam.* Hinc habes, quòd qui carnali amore se diligũt, verè se odiunt, de his Sap. 2. *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra*, sed hi qui carnis & mundi luxuriam sequuti sunt in vita, postea doloribus mortis æternæ cruciantur in gehenna. Non est nobis stultorum consilium sequendum, sequamur prudentum semitas, qui omni immunditia carnalis voluptatis abdicata, legem Dei adimplere spiritualiter studeant, illi solùm seruire satagentes, in quo summa bonorum omnium voluptas redundat.

Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum in locum suũ, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis à facie serpentis. N. 14.

Hæc aquila magna est S. Michael, vt explicauimus cap. 10. alludit ad locũ Exod. 19. 4. *Quomodo portauerim vos super alas aquilarum.* Fugiet tunc Ecclesia in desertum sub alis S. Micaelis, vel alludit ad alas fortitudinis Dei, de quibus Regius Vates. *Sub vmbra alarum tuarum protege nos*, & Ezech. 17. n. 3. *Hæc dicit Dominus Deus, Aquila grandis magnarum alarum.* Inquit alas datas esse mulieri, vt volaret in desertum, in quo ostendit velocem fugam, nam adeò

 festi-

festinans Ecclesia descendet in desertum, vt volare videatur à facie serpentis, & Antichristi, qui erunt velociſſimi in mulieris (Ecclesiæ) persecutione, alludit ad Psalm. 54. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo. Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine*, dixerat antea: *Timor & tremor venerunt superme*, simili timore olim fugit synagoga in desertum à facie Antiochi 1. Mach. 2. n. 29. Nota quòd mulier fugit in solitudinem sup. n. 6. & hìc fugit in desertum, vt intelligas idem esse solitudinem ac desertum, vt ibi dixi. Vide cap. nisi de renunc. in fin. ibi: *Volatũ*.

Dices, quare dicitur volare in locum suum? Dic, quod locus Ecclesiæ est solitudo & desertum, vt scilicet à seculi malitia procul sit, & à cura mundana, Matth. 6. *Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini*, & 1. Petr. 5. *Omnem solicitudinem vestrã proijcientes in eum, quoniam ipsi cura est de nobis*, & circa clericos est elegans decisio in l. repetita 40. C. de episcop. & cler. & l. consulta diualia 23. C. de testam. Quod si volatum huius mulieris in desertum, intellexeris transitum Ecclesiæ ad Hispaniæ montana, ad loca inuia, & inaccessa, non erit violenta interpretatio, quia proprius Ecclesiæ locus Hispania est, vbi fides tenetur iuuiolata, vbi Christiana Ecclesiæ Romanæ religio custoditur incorrupta. Vel fugiet in locum suum, id est, in locum paratum à Deo, vt supra num. 6.

Dices, quali alimento aletur Ecclesia in deserto? Amice non est abreuiata manus Domini, memento quid fecerit cum filijs Israel in exitu de Ægypto, sanè hìc multiplicabit annonam, nam in profectione hac erũt maiora portenta, quam cum filijs Israel. Nota ad mores, quòd anima quæ quærit solitudinem, cœlesti gaudet alimonia, nam in præsenti, dum Ecclesia volat in desertum, statim alitur absponso, & Angelorum esca nutritur, Sapient. 16. 20. Sequitur in textu. *Per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, id est, per tres annos & dimidium, quibus Antichristi durabit:

rabit persecutio. Tempus annũ significat apud Hebræos, dictum est Nabuchodonosori, *Septem tempora mutabuntur super te*, Dan. 4. 22. id est septem anni. Item hic versus alludit ad Psalm. 16. n. 9.

Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine, &c. N. 16.

Flumen in præsenti significat calamitatẽ, & persecutores, Psalm. 68. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam*, & inferius: *Libera me ab his qui oderunt me & de profundis aquarum*, & iterum *Non me demergat tempestas aquæ*, & Cantic. 8. *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem*, & Psalm. 123. *Quum irasceretur furor eorum in nos, forsitam aqua absorbuisset nos.* Flumen mittet draco post mulierem, id est aquas persecutionis, vel Gentes Antichristianas, vt infra cap. 17. n. 15. *Aquæ quas vidisti populi sunt & Gentes.* Mittet ergo post Ecclesiam fugiẽtem has aquas, si fortè possit eam aquis inuoluere, & ita apprehendere, sed flumen peribit, quoniam adiuuabit terra mulierem, & aperiet terra os suum, & absoruebit fluuium delabẽtem post mulierem, vt dicitur in hoc textu, alludit Genes. cap. 4. n. 11. *Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui*, vel ad similitudinem Dathan & Abirõ, quos terra aperiẽs os suũ resorbuit, Numeror. 16. Hic fluuius dicitur exire ab ore draconis, id est, ab eius imperio, & iussu, vt infra cap. 16. n. 13. *Et vidi de ore draconis, &c.*

Et stetit supra arenam maris. N. 18.

Biblia Complutensis legit *Steti supra arenam maris*, & hanc lecturam retinent Aretas, Rupertus, Ribera, & Vie-

gas, & commodissimè iuxta Græcum originale, ibi: *Kè eſtatem epitin ammon tys thalaſis*, & tunc dicendum est S. Ioannem ſtetiſſe ſupra arenam maris ad videndam ferã beſtiã, quæ ſtatim aſcendit de mari in cap. ſequenti, quod ſi retenta vulgari lectura legamus: *Stetit ſupra arenam maris*, dicemus, draconem ſtetiſſe ſupra arenas maris, id. eſt ſuper vniuerſos impios, vt his præficiat beſtiam ſequentẽ.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

NOTATIO.

Hic textus pertinet etiam ad ſextum ſigillum, & in eo agitur de Antichriſto, & de Regno Turcarum, in quo filius perditionis imperitabit. Hoc regnum comparatur beſtiæ, & multo magis Antichriſtus, qui eſt beſtia ferox, & diabolica. Impius dicitur beſtia, Ezech. 34. 25. Ceſſare faciam beſtias peſſimas de terra, *ſed Antichriſtus eſt beſtia per antonomaſiam, & caput omnium impiorum & perditorum. Item Regnũ Turcarum eſt Metropolis beſtiarum, & Babylon magna, Ciuitas diaboli, quæ nouiſſimis diebus acre bellum mouebit aduerſus Eccleſiam, & Chriſtianiſmum, ſed hæc Ciuitas diaboli, ſiue Regnum Turcicum peribit cum Antichriſto, vt infra cap. 17. 18. 19.*

TEXTVS.

N. 1. Et vidi de mari beſtiam aſcendentem habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua eius decem diademata, & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ.

REceptum eſt hanc beſtiam eſſe Antichriſtum. Sed apud me magis prævalet authoritas Scripturæ, quæ teſti-

testimonio veritas comprobetur, quam interpretum multitudo qui congruam rationem non reddant, ideoq; existimo in hac bestia figurari Imperium Turcicum, & Cõstantinopolim huius Regni Metropolim. Hanc opinionẽ tenuere Cardin. Caponsach. in præsenti. Fr. Ludou. de Leõ lib. de nomin. Christi. Louisino de Aquila Esdræ fol. 21. Hæc est quarta illa bestia, de qua Dan. cap. 7. vt dixi supra cap. 12. n. 3. Est enim eadem bestia, cui mulier insidet infra cap. 17. vt probat Alcasar in præsenti. §. 5. P. Suar. 3. p. tom. 2. disp. 59. art. 6. sect. 2. ¶ Hoc regnum dicitur bestia, quia sedes est Luciferi, & fundatur super bestiam coccineam, vt infra cap. 17. n. 3. Diabolus est bestia coccinea, siue draco rufus, vt sup. cap. 12 n. 3. Eius Metropolis Constantinopolis, adeò potens, vt nulla cum illa comparari possit, vti ex Zosimo accepimus in vita Constantini.

Ascendentem de mari, quia Constantinopolis huius Regni caput ad ipsum Bosphorum sita est inter duo maria, in hac Antichristus sedem collocabit, Dan. 11. 45. *Figet tabernaculum suum Apadno inter duo maria.* Est ciuitas magna, vt infra dicitur cap. 17. n. 18. Hæc est ciuitas Resen, quæ magna dicitur Genes. 10. 12. à Pausania iterum ædificata, dictaque Byzantium. Hanc Sybylla Erythrea appellat Vrbem magnam. *Et mox regia sceptra tenebunt:*

Magna qui veteris habitant Byzantis in Vrbe
Felix Hellespontę.

Capita septem sunt Regna & Reges, vt fusè explicaui supra cap. 12. n. 3. sed vltimum caput erit Antichristus qui Rex Orbis haberi volet. ¶ Cornua & diademata significant decem Reges, quos diabolus in Orbe præficiet, vt infra cap. 17. n. 12. & Dan. 7. n. 24. & Zach. 1. 20. Hi Reges cum Agno, & eius Ecclesia pugnabunt, cap. 17. n. 14. Sunt enim cornua draconis, & habent super se nomina blasphemiæ, cap. 17. n. 3. & infra in hoc cap. n. 6. *Et aperuit os suum in blasphemias.*

Et

N. 2. Et bestia quam vidi similis erat pardo, & pedes eius sicut vrsi, & os eius sicut os leonis, &c.

Hæc verba satis probant nostrum assertum circa Regnũ Turcarum, & quod hæc bestia sit eadem cum quarta bestia Danielis, vt probaui cap. 12. n. 3. Regnum Turcicum simile est pardo in varietate Gentium, & vitiorum, vrso in malitia, degluuie, & auaritia, Leoni in superbia, & potẽtia. Omnia vitia inueniuntur in Sarracenismo, cuius secta fœdissima est, docens omnem turpitudinem. iam propè imminet aduentus Antichristi, nam prophetauit Daniel cap. 8. n. 23. venturum Antichristum, cum iniquitates creuerint in mundo. Hoc regnum nõ solum dicitur Babylõ, sed Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ, vt infra cap. 17. nu. 5. Tandem huic regno dedit draco virtutem suam, id est, malitiam, & iniquitatem, vt dicitur in hoc textu.

N. 3. Et vidi vnum de capitibus suis quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est, & admirata est terra, &c.

Si hæc referamus ad bestiam, & Sarracenismum, vti innuere videtur contextura, hæc mors & resurrectio erit metaphorica, tuncque dicemus, hoc regnum fuisse olim quasi occisum, capta Hierosolyma per Christianos, nam maior pars Imperij sub Vrbano in ditionem nostram peruenit, & tunc quasi occisum fuit plagato eius præcipuo capite. Sed plaga curata est, quia licet ad tempus humiliatum, & quasi occisum iacuisset, iterũ magnificatum fuit, & resurrexit, & admirata fuit barbara illa natio post bestiam suam, dicens, hoc est regnum, quod veniens vsque

ad

ad casum, reuixit, numquam videbit luctum, vt infra cap. 18. n. 7. Vel secundo dici potest, vnum caput bestiæ, id est, antiquam Babylonem, quæ iam erat extincta, Ierem. 51. 64. reuixisse in Sarracenismo & eius Metropoli, quæ dicitur Babylon magna, & ob hanc causam admirata est terra, videntes bestiam quæ fuit & non erat, iterum reuiuiscere in Sarracenismo, vt infra cap. 17. à n. 8. hic & ibi eadem proponitur admiratio de hac morte & resurrectione, & in vtroque loco admiratio est eorum tantum qui non sunt scripti in libro vitæ & Agni.

Sed licet superiora benè fundata videantur, verius est, hoc caput esse Antichristum qui finget plagam lethalem, & finget se mortuum & rediuiuum, vt eo modo scripturã de Christo Domino loquentem & adimpletam, in se adimplendam mentiatur. Hic est ille fictus Messias, de quo Saluator noster edixit Ioan. 5. 43. Hic erit caput & Princeps Regni Turcarum, vt dixi cap. 12. n. 3. Hic diabolica virtute confouebitur, & sicut in Sanctissimam Mariam, Deiparam glorioſissimam Spiritus Sanctus descendit, & eam sua virtute obumbrauit, vt quod nasceretur diuinum esset & Sanctum, ita in matrem Antichristi diabolus descendet, & interius, exteriusque possidebit, vt diabolo per hominem cooperante concipiat, & pariat iniquum filium perditionis, quod significat Apost. 2. Thes. 2. *Cuius aduentus est secundum operationem Satanæ.* Vndè SS. Eph. Ciril. & Damasc. eum futurum organum, & domicilium diaboli asseuerant, & S. Hier. Dan. 7. affirmat ei vniendum diabolum, & idem sentit Iræn. lib. 5. adu. hær. cap. 5.

Notandum est non sine mysterio dici in hoc cap. n. 8. Christum fuisse occisum ab origine mundi, quod fit ad excludendum Antichristi mendacium de morte & resurrectione. Verè Christus Dominus mortuus fuit & resurrexit supra cap. 1. n. 18. *Fui mortuus, & ecce sum viuus in secula seculorum*, & dicitur ab origine mundi occisus in destinatione & diuino decreto, vt eius merito omnes ab origine

gine ſaluentur, vel fuit mortuus in typo ſuo Abel. Vide infra num. 8.

N. 4. Et adorauerunt draconem qui dedit poteſtatem beſtiæ, & adorauerunt beſtiam dicentes. Quis ſimilis beſtiæ, &c.

Adorabunt draconem & beſtiam, id eſt, diabolum & Antichriſtum, adorabunt eos tanquam patrem & filium, & dicent, quis ſimilis Antichriſto, qui poteſt mori, & reſurgere? Quis poterit cum eo pugnare qui poterit ſemper reſurgere? Demum dicit: *Datum eſt ei os loquens magna & blaſphemias*. Eſt Antichriſtus vnũ ex capitibus beſtiæ, capita autem beſtiæ plena ſunt nominibus blaſphemiæ, vt infra cap. 17. Erit blaſphemus in Deum, & Sanctos, vt dicit infra. n. 6. Item additur quod regnabit tres annos & dimidium, & quod debellabit Sanctos Altiſſimi, & quod erit Orbis monarcha, & gentes ſibi ſubiget, quæ omnia de Antichriſto prophetauerat Dan. cap. 7. n. 25. & cap. 8 n. 11. & cap. 11. n. 36, Ioel cap. 1. à n. 8. Illud tamen animaduertamus, hanc poteſtatem conceſſam beſtiæ eſſe permiſſionẽ quandam diuinam, non verò poteſtatem illam quam ſupraei dedit draco.

N. 8. Et adorauerunt eam omnes qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi.

Adorabunt Gentes Antichriſtum, qui quaſi numen ſedebit in templo adorandus. 2. ad Theſ. 2. 4. *Ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus*. Sed hi tantum adorabunt eum qui non ſunt ſcripti in libro vitæ, præciti

non

non sunt in libro vitæ Agni, quia est liber prædestinatorũ. ¶ Verba illa: *Ab origine mundi* ad librum referenda sunt, non continuanda cum immediatis. *Qui occisus est*, & comma siue incisio poni debet post verba, *Qui occisus est*, vt periodus ita componatur: Adorabunt Antichristum illi qui non sunt scripti in libro vitæ Agni ab origine mundi, vt bene animaduertunt Ticon. Andr. Aret. Ioach. Zeger. Rib. Amb. Bed. & Alcazar. Vel dici potest, Christum Dominum occisum fuisse ab origine mundi quantum ad prærogatiuam & primitias dormientium, vt ipse sit in omnibus primatum tenens, & ideò dicitur primogenitus mortuorum, cap. 1. num. 5. vide quæ dixi in hoc cap. n. 3. in fine.

Si quis habet aurem audiat. Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatẽ vadet, &c. Hic est patientia, & fides Sanctorum. N. 9.

Diuinus Vates his verbis captat fidelium mentes, quasi dicat: Nolite adorare bestiam, nolite timere quod resurrexerit, quoniam ficta sunt omnia hæc, nolite turbari dum videtis bestiam sæuire ad libitum, & prosperari, nolite cõturbari, quia is qui ducit in captiuitatem eos qui eum nõ adorant, capietur ad tartara, nolite constristari quòd occidat, quia ipse post modicum peribit in gladio oris Christi. *Hic patientia est, & fides Sanctorum*, in hac tribulatione necessaria est patientia in tolerantia tormentorum, necessaria est fides in tanta procella fictorum miraculorum, in hac victoria, quam habet aduersus Ecclesiam, & filios eius, vbi corpora patiuntur, & tortor miracula facit. In hac terribili tempestate examinanda est patientia, & fides Sanctorum, qui habent certum testimonium fidei, & falsitatis Antichristi. In summa tunc erit tribulatio magna qualis non fuit ab origine mundi. Audiamus Sanctorum

iudicia & interpretum placita S. Gregor. lib. 32. Mor. cap. 12. *Fensemus, quæ erit humanæ mentis illa tentatio quando pius Martyr corpus tormentis subijcit, & ante oculos eius tortor miracula facit, quando is qui flagris cruciat, signis coruscat, &c.* Maluenda lib. 9. de Antich. cap. 16. *Occidet Antichristus non simplici, & cita morte, sed per omnia pœnarum, & supplicíorum genera.* Perer. lib. 5. Dan. *Quæ audiuimus fuisse vllo tempore Christianis admota tormenta, ea fertur velut ludum & iocum fuisse, pro vt erunt tormenta, quibus Christianos torquebit Antichristus*, Cornel in præf. *Quæ trecentis annis sparsa passi sunt Christiani, hæc omnia patientur simul ab Antichristo. Nam Nero & sequaces fuerũt typus & præludium Antichristi.* In summa talis erit tribulatio, vt nisi breuiarentur dies illi, non fieret salua omnis caro, Matth. 24. 22. Sed non permittet Deus tentari fideles vltra quam possint, & breue illud tribulationis momentum æternitatis corona compensabitur. De miraculis Antichristi vide Vieg. in præsenti comm. 2. sect. 11.

N. 11. Et vidi aliam bestiam ascendẽtem de terra: & habebat cornua duo similia Agni, & loquebatur sicut draco.

Hæc bestia designat cætum pseudoprophetarum, & clericorũ Antichristi, vt benè percepit Alex. Hal. & Pannonius, & Etherius lib. 2. Antichristus enim fundabit fictam quamdam Ecclesiam, & hæc figuratur in hac bestia ascendente de terra. Prima bestia initio capitis ascendit de mari, secunda de terra; mare fluctuat, terra quieta est. In prima bestia Imperium Turcicum apertè malum cõtinetur, in secunda verò pseudoprophetarum caterua, quæ sub nomine fictæ sanctimoniæ non videtur in seculo fluctuare, sed quasi quietem se agere, & Ecclesiam simulare. Antichristus in hac Ecclesia ficta constituet summum

pseudo-

pseudoprophetam, cuius typus fuit Mahomet, de hac ficta Ecclesia loqui videtur Psalm. 25. n, 5. *Odi Ecclesiam malignantium*, & de ea Saluator noster prædixit Marc. 13. 22. *Esurgent pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa, &c.* quæ verba ponuntur in præsenti, *Et fecit signa magna*, & inferius: *Et seducit habitantes in terra propter signa*, vbi notandum est verbum illud *seducit*, quod etiam ponitur in loco Euangelij S. Marci, *Ad seducendos, si fieri potest etiam electos.*

Hæc bestia & synagoga Satanæ ascendit de terra, quia de terrena gloria eleuabitur, & ipsius doctrina erit carnalis & terrena, quam animalem & diabolicam appellat S. Iacob. in sua epist. cap. 3. n. 15. non sic Sancta Christianorum Ecclesia, quæ ascendit de cœlo supra cap. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo*, cuius conuersatio in cœlis est, nec de terrenis gloriatur, sed instar cœli amicta est Sole, Luna, & stellis. Insuper addit, quod hæc bestia habet cornua duo similia Agni, quia synagoga illa Satanæ habebit duo testamenta legis & ficti Euangelij, per quæ propheta se simulabit, & conuersatio eius extrinsecus videbitur irreprehensibilis & mansueta, sed intrinsecus erit callida & serpentina, & in simulatione innocentiæ & dissimulatione malitiæ ventilabit Orbem. Hæc bestia Agnum se finget cum sit hircus, & lupus. Hi sunt prophetæ quos præcauendos docet Saluator noster, Matth. 7. 15. Luc. 11. *Vos Pharisæi, &c.*

Verius tamen est hæc duo cornua poni pro Sacramento eius fictæ Ecclesiæ, vt dicemus infra in fine huius capitis, & in cap. 17. vbi mulier illa cum calice, & hostia designat hanc iniquam Ecclesiam. Vocat hæc cornua similia Agni propter Sacramētum Eucharistiæ sub vtraque specie panis & vini, de quo S. Mart. in epist. ad Burdeg. cap. 3. inquit vitam tribuere in calice & viuo pane. Sed non dixit S. Ioannes quod hæc cornua bestiæ erant cornua Agni, sed similia Agni, nam filius ille perditionis, & eius malig-

na congregatio faciet fictè quæcumq; facit ſancta Chriſti Eccleſia verè, nā quæ dicta ſunt à Prophetis de vero Meſſia, quæ impleta ſunt in Redemptore noſtro, in ſe adimplenda mentietur Antichriſtus. Addit textus quod beſtia loquebatur vt draco, id eſt, ſicut erudietur à diabolo, & eius organo Antichriſto.

Proſequitur textus: *Et poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius.* Rectè Alex. Hal *In conſpectu eius*, id eſt, draconis, & diſtinguenda eſt in præſenti beſtia prior à beſtia prima, cuius ſanata eſt plaga mortis. Diabolus ſiue draco eſt beſtia prior, Antichriſtus beſtia prima, poſitiuū, diſcriminari debet à comparatiuo, vndè infra cap. 19. n. 20. dum dicitur, pſeudoprophetam feciſſe ſigna coram ipſo, ad draconem referendum eſt, non ad beſtiam primā, quia tunc diceret coram ipſa, ni mauis miracula etiam patrari coram ipſa beſtia prima. Dicitur quod hæc ſynagoga Satanæ faciet omnem poteſtatem diaboli coram ipſo. Quare omnem? Quia omnem virtutem & poteſtatē dedit ei draco, vt ſupra n. 3. Additur *In conſpectu eius* ad explicandam cæcam & inſanam reuerentiam, quam diabolo exhibebit hæc peruerſa congregatio, quem adeò honorabit, vt quidquid agat, ſe in conſpectu eius agere dicat tanquam nihil ſit, quod eum latere poſſit, in quem modū & ſancti in conſpectu Dei ſe verſari dicunt. 3. Reg. 17. *Viuit Dominus in cuius conſpectu ſto*, & Geneſ. 17. *Ambula coram me*, Eſai. 38. *Memento, obſecro Domine quomodo ambulauerim coram te*, & Apoſt. *Coram Deo in Chriſto loquimur*, & ex illo. *In conſpectu tuo viam meam.*

Tandem nota quod hæc beſtia, ſiue Apoſtoli Antichriſti ſuadebunt hominibus vt faciant imaginem beſtiæ primæ, id eſt, Antichriſti, vt faciant imagines & adorent eas, dicentes, hic mortuus fuit & reſurrexit, & virtute diabolica facient loqui ſtatuas Antichriſti, vt olim locutus fuit Apollo Delphicus, vndè & ſtatuæ videbuntur animatæ, & loqui credentur. Vltimo nota quod hæc ficta

Eccle-

Ecclesia designatur in sequentibus capitibus per verbum *Pseudoprophetæ* per figuram sinecdoche, vt notat Ioach. qui semper explicat hoc verbum *Pseudoprophetæ*, id est, *Pseudoprophetarum caterua*, idque etiam Alex. Hal. adnotauit in cap. 19. Apoc. n. 20. ibi: *Nota quod dicit Pseudoprophetæ singulariter propter vnitatem prauæ intentionis Apostolorum Antichristi*, omnia explicata sunt vsque ad num. 16.

Et faciet omnes, &c. habere characterem in dextera manu sua, aut in frõtibus suis. Et ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius. Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est: & numerus eius sexcenti sexaginta sex. N. 16.

Obtinuit ferè apud omnes, characterem, nomen & numerum referenda esse ad Antichristum, ad bestiam primam, cuius sanata est plaga mortis; & fingunt interpretes varia nomina Antichristi, quæ contineant numerum 666. Sed in vanum laborauerunt, quia character, nomen & numerus referri debent ad bestiam ascendentem de terra, ad Ecclesiam illam fictam & diabolicam, quam instituet Antichristus. Sanè tres sunt bestiæ in hoc capite, bestia prior, id est draco; bestia prima Antichristus; bestia ascendens de terra, id est, synagoga Satanæ, de hac loquitur textus, & inquit, quod hæc bestia faciet nequis possit emere, aut vendere nisi qui habuerit ipsius characterem, vel numerum, vel nomen, verba difficultate plena, quæ excedũt humanæ auditionis modum, sunt enim lydius lapis, quo hu-

humana probatur sapientia. Quid dicemus? Sanè particula illa, *Hìc sapientia est* me maximè deterret, quia noui meam insufficientiam. Det mihi Deus per merita Domini nostri Iesuchristi spiritum intelligentiæ, & humilitatẽ perfectam, vt possim dicere, omnia possum in eo qui me confortat. In nomine Dei rem ita interpretor. Character huius bestiæ est sacramentum eius synagogæ. Nomen est Babylon, numerus est lex ipsius & numerus præceptorum eius. Sed iam de singulis.

Character est signum quoddam quo homines suam explicant religionem, & est quasi fundamentum legis, siue professio. vt docet Basilius Ponce. var. disp. 1. part. q. 6. expositiua. cap. 3. vndè circumcisio apud Iudæos dicebatur character eius legis, seu signaculum infixum cap. Iudas 17 q. 4. & ad Rom. 4. 11. *Et signum accepit Circunciſionis ſignaculum iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio* & nos Christiani sacro baptismatis charactere condecorati dicimur, & Christus nobis in eo imprimitur, & ei incorporamur, iuxta illud Apost. *Omnes quicumque baptizati eſtis Chriſtum induiſtis*, cap. ad hoc de consec. dist. 4. Antichristus & ficta eius Ecclesia fingent suum characterem, & quasi baptismum, id enim indicant verba huius textus, dũ inquit quod hæc bestia faciet omnes habere characterem suum, *Et faciet omnes habere characterem*, & sicut Dominus Iesus, qui habet potestatem in cœlo & in terra, præcepit Apostolis vt irẽt in vniuersum mundum, & docerent omnes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti, Matth. 28. Ita discipuli illi Antichristi facient omnes habere characterem in manu & frontibus, idque explicat infra cap. 17. n. 2. *Cum qua fornicati ſunt Reges terræ, & inebriati ſunt qui inhabitant terram de vino proſtitutionis eius*, nam Antichristiani, relicto vero baptismate, quod in Deo sanctificatum est, & regenerat in aqua & Spiritu Sancto, recipient aliud nefandum & superstitiosum, in quo dæmon, & Antichristus adorabuntur, & in hoc erit spiritualis fornica-

tio,

tio, Iudic. 2. *Fornicantes cum dijs alienis, & adorantes eos.*

Controuersum est inter hæreticos, an in Ecclesia illa Antichristi futura, sint septem sacramenta, vel vnum? Kemnitius in exam. Conc. Trid. p. 2. tentabat septem futura, quia dicebat quod bestia vocatur sacramentum, quæ septem habet capita, vt infra cap. 17. sed rectè confunditur à Cornelio ibi vers. 3. quia S. Ioannes non dicit septẽ capita esse septem sacramenta, sed vnum sacramentum bestiæ, sicut Lutherus Antichristi typus introducere tentauit vnicum tantum esse sacramentum, & plura signa sacramentalia, quæ virtute vnici sacramenti effectum sortiebantur. Verius est in illa Antichristiana Ecclesia non nisi vnum sacramentum, siue mysterium iniquitatis futurum, & hoc deseruiet pro baptismo, hoc erit eorum character. Probatur nam in præsenti dicitur, quod character erit in manu & in fronte, & id postea explicat in cap. 17. n. 4. vbi ponitur poculum in manu mulieris purpuratæ, id est Ecclesiæ Antichristianæ, & mysterium in fronte; mysterium autem & poculum, vnum sacramentum est eius peruersæ congregationis in pane & vino, nam audenter vsurpabunt illud, quia in pane & vino omnis fortitudo ponitur, & cornu salutis Genes. 27. 37. *Frumento & vino stabiliui eum, & tibi fili mi vltra quid faciam*, sequitur ergo quod character in manu & fronte nil aliud sit quam calix & mysterium in manu & fronte mulieris, & rectè originale Græcum in præsenti legit *Faciet omnes habere characteres in manu & fronte*, vt alius sit character calicis in manu, alius hostiæ in fronte, hostia apud nos mysterium siue sacramentum fidei dicitur, & etiam calix, sed hostia & calix Antichristianorum erit mysterium iniquitatis.

Ex dictis multa loca Apoc. lucem accipiunt. Primò verba illa cap. 14. n. 8. *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes*, quæ denotãt violentiam, qua compellet gentes fornicari, & idololatriã sequi, faciens omnes accipere characterem, siue calicem

suum

ſuum & ſacramentum nefandum, vt hìc, *Et faciet omnes.* Similis obſeruatio eſt cap. 17. n. 2. *Inebriati ſunt qui inhabitant terram de vino proſtitutionis eius*, & cap. 18. n. 3. *Quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes.* Secundo lucem accipit textus infra cap. 14. n. 9. vbi illa ponitur cōminatio, quod ſi quis acceperit characterem in manu vel in fronte, hic bibet de calice iræ Dei, en vbi characteri Antichriſtianorum opponit calicem iræ Dei, pulchra quidem antitheſi, vt puniatur in calice Dei, qui ſumpſerit calicem beſtiæ, vt infra cap. 16. n. 19. *Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum dare illi calicem vini indignationis eius*, & cap. 18. n. 6. *In poculo, quo miſcuit, miſcete illi duplum.* Tertio lucem accipit textus in cap. 14. n. 15. & 18. vbi Antichriſtiani appellantur botri & meſſes aridæ, quod dicitur propter ſacramentum panis & vini, quod audenter ſibi vſurpabit illa ſynagoga Satanæ, quæ ad ſe retorquebit omnia dicta in ſacra Scriptura de Chriſto Domino, & eius ſancta Eccleſia, idque innuere videtur dum illam ſynagogam ebriam & tumulentam ſanguine Sanctorum, & Martyrum accuſat, infra cap. 17. n. 6. quod quidem dicitur metaphoricè & per ſimilitudinem, vt quemadmodum fideles qui ſancti dicuntur, Actor. 9. 41. ad Rom. cap. 1. n. 7. cap. 12. n. 13. cap. 15. n. 26. cap. 16. n. 2. vbertate calicis Chriſti Domini inebriantur, dicente Propheta, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ*, ita Antichriſtiani inebriabuntur immundicia ſui calicis vtentes eo ad ſimilitudinem ſanctiſſimi ſanguinis Chriſtianorum, & quid mirùm tumulenti dicantur Antichriſtiani, qui etiam botri nuncupātur; nec probo illorum opinionem, qui verba illa: *Vidi mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine Martyrum Ieſu*, ad martyria Antichriſti referunt, quia tunc nulla eſſet cauſa diſtinguendi ſanctos à Martyribus.

In ſumma character beſtiæ eſt ſacramentum beſtiæ, ideò mulier Babylonica in cap. 17. habet myſterium in fronte; myſterium apud Græcos ſacramentum eſt & res

ſacra

sacra, Glossa marginalis in cap. debitum de Bigam. & nō communicatur nisi initiatis. Mysteria appellantur initia, teste Cicerone 2. de legib. quia ea sunt vitæ principia. Erant mysteria duplicia, magna, id est Cereris sacra siue sacramenta, & parua Proserpinæ siue Bachi, Cælius lib. 31. cap. 9. Var. de re rust. Calep. verb. *Initio*, & mysterion, siue myos apud Græcos ponitur pro sacramento dæmoniaco, alludit ad Psalm. 105. n. 28. *Initiati sunt Beelphegor: & comederunt sacrificia mortuorum.* ¶ Nota quod originale Græcum semper vtitur nomine *Poterion*, & modò versat *poculum*, vt in d. cap. 17. n. 4. modò calicem, vt in cap. 14. n. 10. idem est enim calix & poculum.

Nomen huius bestiæ erit Babylon propter Antichristū qui Babylone nascetur, vt probat Viegas infra cap. 13. comm. 2. sect. 3. n. 4. Quod autem nomen huius bestiæ sit Babylon, probatur cap. 17. n. 5. *Et in fronte eius nomen scriptum, Mysterium*, deinde addit *Babylon*, non quòd Babylō ponenda sit in fronte purpuratæ meretricis, sed quòd mysterium illud, siue sacramentum sit Babylonis, vndè Arabicus apud Cornelium legit *Mysterium Babylonis*, id est Sacramentum Ecclesiæ Antichristianæ, & rectè Babylon in calice aureo exprimitur & significatur apud Ierem. cap. 51. n. 7. *Calix aureus Babylon*, quia multitudo pseudoprophetarum simulat se esse quod non est, & ostendit se aureum calicem esse, cum sit plena iniquitate, licet enim videatur habere cornua Agni, loquitur sicut draco, & in d. cap 17. n. 4. hoc ipsum ostenditur dum calix ille aureus, plenus dicitur immundicia; in illo calice aliud videtur, & aliud occultatur, est enim mysterium illud totum iniquitatis. Iam enim apparet quid sit in præsenti habere nomē bestiæ; habere nomen bestiæ est esse de illa Ecclesia Babylonica, & habere suum characterē, & legem, vndè idem est habere nomen quod habere characterem, vel numerum; qui habet characterem eius, habet nomen eius; qui habet numerum eius, id est legem, habet etiam nomen

eius, vndè & dicitur character nominis, infra cap. 14. n. 11. & numerus nominis infra cap. 15. n 2. quia sacramentũ & character, item lex & numerus sunt illius Babylonis, & sicut nos Catholici ab Ecclesia Catholica dicimur, ita Antichristiani Babylonici dicentur ab illa iniqua Babylone, & ridicula confusionis Ecclesia.

Ex his etiam apparet, nomen esse signum demonstratiuum professionis Exod. 33. 13. *Noui te ex nomine.* Ioan. 10. *Proprias oues vocat nominatim,* & supra cap. 3. n. 4. *Habes pauca nomina in Sardis*, & in hoc textu idem est habere nomen, vel characterem, vel numerum, vt supra dixi, sicut apud nos idem est habere Euangelium & profiteri, & habere nomen fidelium, vnde apud Antichristianos illos, qui habuerit characterem, habebit nomen, & legem, & sic in textu non omnia requiruntur, sed alterum, & ideò subdit, *Et nequis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum, &c.*

Numerus huius bestiæ est lex, & testamentũ eius diabolicæ Ecclesiæ, & hanc legem Antichristiani habebunt pro Euangelio, nec nouum est per numerum legẽ significari, sic numerus apud Hebræos, siue liber Numeri continet primam legem, quæ versatur circa cæremonias, sacrificia, tabernaculum, tribus, præcepta, primitias, & possessiones, & sicut Deuteronomium dicitur secunda lex cap. per venerabilem, qui filij sint leg. ita numerus cum Leuitico includit primam legem, & nomen *nomos* apud Græcos simul significat legem, & numerum, & in hac materia aptissimum est nomen *Numeri*, quod exprimit numerum præceptorum, sic apud nos sunt quatuor Euangelia, septẽ Sacramenta, quinque sanctæ Ecclesiæ præcepta, decem Dei mandata, & alia similia, quæ pertinent ad legem nostram. De proportione numeri ad legem vide Petr. Bungo de numer. myster. num. 25. & 153.

Dices, quid commune habet lex cum numero 666. de quo in textu? Sanè *hìc sapientia est*, id est, hic opus est oculis,

lis, & mente, quia debemus rem attentè considerare, sed ne videatur res impossibilis, addit textus: *Numerus hominis est*, quasi dicat, computatio non reuocatur ad numerum diuinum, quem homo attingere non valet, sed est numerus hominis, quem potest homo per sapientiam inuestigare, eumque inueniet, si iuxta Græcorum morem rem cum alphabeto composuerit, Græci enim, quorum idiomate S. Ioannes Apocalypsim scripsit, literis & characteribus pro numeris vtebantur, & vnaquæque litera diuersum continebat valorem, & quem locum in alphabeto quæque litera sortitur, eum numerum representat, & calculos numerorum reddit. Debet itaque tale nomen formari, quod habeat tot literas, vt ex supputatione earum inueniatur numerus 666. Si enim apud Græcos inuenerimus nomen huius tenoris, & tale nomen legem significauerit, poterimus in Domino gloriari, detecta enim lege huius impijssimi cætus, omnia antecedētia manent aperta.

Multum laboraui, multum insudaui in aperiendo hoc nomine, donec fauente Domino obuiam venit nomen *Paradosis*, quod significat legem, Euangelium, præcepta, mādata, religionis ritus, traditiones, & cæremonias. Paradosis suis literis continet numerum 666. Prima litera 80. Secūda. 1. Tertia 100. Quarta. 1. Quinta. 4. Sexta. 70. Septima 200. Octaua 10. Nona 200. Omnia simul iuncta reddunt numerum 666. Continet enim hoc nomen adæquatum numerum cuiusque religionis, & sectæ. In summa hæc synagoga Satanæ faciet omnes habere characterem suum, id est, sacramentum, vel habere nomen suum, id est, quod sint de suo nomine, & iniqua congregatione, vel habere numerum suum, id est suam legem, & præcepta, quæ omnia vincent perfecti Christiani, vt infra cap. 15. n. 2.

Symbolicè, & ad mores notandum est, numerum Babylonis esse diuitias, vt infra cap. 17. & 18. Diuitiæ possunt explicari per numerum 666. quia hic fuit numerus diuitiarum ditissimi Salomonis, qui ei quottanis pendebatur

3. Reg. 10. 14 & 2. Paralip. 9. 13. Fundamenta Babylonis in auro & diuitijs, talis erat Bel, quẽ colebant Babylonij, Dan. 14. erat enim aureus, sed aureus erat forinsecus, luteus intrinsecus, tales sunt mundi diuitiæ, & Babylõ habet in manu poculum aureum, sed plenũ immunditijs, vt infra cap. 17. n. 4. O mortales videte Deos, quos colitis. Beati pauperes, quorum est Regnum cœlorum, quorum diuitiæ permanentes sunt, non sicut diuitiæ mundi, quæ in ictu oculi pereunt, vt infra cap. 18. n. 17. *Quoniam vna hora distitutæ sunt tantæ diuitiæ*, quæ premunt, tunc maximè cum relinquuntur. Inimicos facit dies in tempus mortis. Faciamus ergo thesauros in æternum profuturos, neque enim post mortem sequentur nos diuitiæ, sed bona opera, vt infra cap. 14. *Opera enim illorum sequuntur illos.*

Illud non omittam, Constantinopolim, illius malignantis Ecclesiæ sedem, designatam fuisse numero 666. idque Valens præclarissimus & peritissimus Mathematicus, inspecto vrbis horoscopo mandatu Constantini, obseruauit, licet aliqui authoritate Pompon. Læti in comp. Rom. hist. in vita Constant. calculum ad numerum 696. reuocauerint. Sed facilis fuit conuersio secundi senarij. Nec illud caret mysterio Constantinum illius vrbis fundatorem vixisse annis 66. vt refert idem Pompon. Læt. vbi proximè. Tandẽ obserua, quod illa statua Nabuchodonosor, in qua superbia, & peccatum figurantur, duplici senario notatur, Dan. 3. n. 1. sed omni malitiæ priorum peccatorum addet Ecclesia Antichristiana tertium senarium, vide nostrum, Ludouicum Gomez ad reg. Cancel. in reg. de triennali possessore, quæst. 1.

Illud restat explicandum, quid sit habere characterem in manu, & in fronte? Existimo nil aliud esse, quam habere sacramentum illius Antichristianæ Ecclesiæ in praua oris confessione, vel nefanda operis exsecratione. Per manum designatur operatio, per frontem intentio, & cultus, Cant. 8, 6. *Pone me vt signaculum super cor tuum,*

vt

vt signaculum super brachium tuum. Deuteronom. 6. *Ligabis quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos.* Prouerb. 7. *Liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui.* Per manus, operationes explicantur, quia manibus operamur corporis necessaria. Per frontem intentio, quia cum sit pars superior corporis & capitis, per eam mens exprimitur, quæ est pars superior animæ, vndè mente & corpore consentiunt, qui characterem accipiunt in fronte & manu. Item fides per frontem significatur, & sicut apud nos fides in Christum est character & signum Sanctorum ad Ephes 1. cap. Maiores. §. itẽ quæritur de Bapt. ita malignitas in reprobis, signum erit filiorum perditionis, & cum in manu & frontibus debeãt omnes habere pura opera virtutum, & fidei, Antichristiani in manu & frõte maculas errorum habebunt. Probabile est, hunc characterem in Ecclesia Antichristiana visibiliter imprimendum in manu & fronte, sicut olim milites Romani nota expressa in brachio militabant. l. stigmata. C. de Fabric. lib. 11. l. decernimus. C. de Aquæductu. Glossa vlt. in l. ex eo 42. ff. de milit. test.

Hæc, Lector benigne, paraphrasis est huius difficillimi textus. Sed quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt queam deplorare tot miserias? Quis non contristabitur, videns adeò prosperandum Turcicum Regnum, vt tandem terram possideat? Quis hanc immanissimam belluam, & superbissimam non perhorrebit? Dum repeto Antichristi aduentum, & tot animarum iacturam, dum recordor illius Antichristianæ Ecclesiæ, dum illius brutalem legem, & sacramenta considero, dũ video confusionem supra confusionem, illud Apostoli contemplor. *O Altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.*

CA-

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

CONTINVATIO CVM ANTECEDENTI.

MVltum laborant interpretes in hac continuatione, sed iam ex dictis ipsa se continuatio manifestat, nam egerat de impia Antichristianorum Ecclesia in capite antecedenti, nunc agit de Ecclesia Catholica. Item egerat de charactere, & lege illius peruersæ synagogæ, & de filijs eius, nunc agit de filijs Ecclesiæ sanctæ, signatis in fronte, & aduersus impiam Antichristi legem inducit Euangelium Æternum. n. 6. Item aduersus pseudoprophetas inducitur numerus Prædicatorum Ecclesiæ sanctæ, qui homines à sequendo Antichristo auocabunt denunciantes imminentem Dei iram, & iudicium. Item n. 8. agit de casu Babylonis, de qua egerat cap. 13. ac tandem n. 10. agit de charactere Babylonico, & de æterna damnatione eorũ qui eum acceperint. In secunda parte huius textus, ibi: Hìc patientia Sanctorum est, *agitur de insigni Martyrum patientia sub Antichristo, & est declaratio capitis antecedentis, n. 10. In tertia parte huius textus à n. 14. agitur de magno supplicio aduersus Antichristianos, & fit strages cruenta in botros & messes, id est, in Antichristianos, qui audenter vsurpabunt similitudinem sacramentorum, vt dixi cap. anteced. & veniet super eos plaga insanabilis propter peccata & crudelitates ipsorum, vt dixit sup. cap. 13. n. 10.* Qui in gladio, &c. *veniet super illos grando illa magna, de qua cap. 11. n. 19. & cap. 16. n. 21. & sicut olim in superbia Luciferi delapsa est multitudo Angelorum, & ad inferos demissa, ita in hac Antichristi apostasia ipse cum suis mittetur in tartara.*

TEXTVS.

N. 1. Et vidi, & ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta qua-

quatuor millia habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus.

Sion totius sanctitatis celsitudo est, & interpretatur *Specula*, S. Hieron. lib. 1. contra Iouin. Sion representat Ecclesiam, Psalm. 2. n. 6. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum*, quo in loco Propheta de Christo, & Ecclesia loquebatur, nam subdit *Filius meus es tu ego hodie genui te &c.* & Psalm. 47. n. 3. *Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion*, & postea addit, *Ciuitas Regis magni*, id est, Christi, vt in d. Psalm. 2. *Constitutus sum Rex super Sion*, & Psalm. 77. n. 68. *Sed elegit tribum Iuda montem Sion quem dilexit*, & Psal. 68. n. 36. Ponitur autem post legem Antichristianæ synagogæ mons Sion in hac Apocalypsi, vt cognoscamus veram legem esse in Ecclesia Christi, nam de Sion exit vera lex Esai. 2. n. 3. *De Siõ exibit lex*, & in hunc montem descendet Dominus, vt prælietur aduersus Antichristianos Esai. 31. n. 4. in nouissimis enim diebus præparatus erit hic mons domus Domini, Esai. 2. num. 2.

Rogabis, quæ sit ista multitudo, quæ sequitur Agnum in monte Sion? Dic quòd sunt Virgines, vt postea explicat, sed simul sunt Martyres illius temporis, nam de illis dicit n. 5. *In ore eorum non est inuentum mendacium*, Martyres in Apocalypsi sunt testes fideles, in quibus non est mendacium, vt dixi cap. 2. n. 13. & cap. 11. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit, quia sunt Christi Domini commilites, qui in eodem commilitio certauerunt, est enim Saluator Dux illius militiæ, & idem nomen recipiunt, nam Dominus Iesus propter passionem mortis dicitur testis fidelis, cap. 1. n. 5. Hi erunt de populo Israel, qui Æliæ prædicatione conuersi, martyrio se constantissimè tradent, vt probo n. 2. Hi sunt illi, de quibus supra cap. 7. n. 4. vbi dixi.

Dices, quare tantùm fit mentio Iudæorum? Ratio duplex,

plex, prima ob lætitiam conuersionis eorum, quæ erit mũ do tanquam vita ex mortuis, vt dicit Apost. ad Rom. 11. n. 15. Secunda ad confundendum Iudæum Antichristũ, & rectè fit mentio Virginum post legẽ Antichristi, quia lex eius tota carnalis erit, & in concupiscentia fœminarum. Ex dictis constat magnam futuram Martyrum multitudinem sub Antichristo, nam ex gente Israel martyrio coronantur centum quadraginta quatuor millia ex solis Virginibus, qui testimonium reddunt de Patre, & Filio, quorum nomen habent in frontibus.

Rogabis iterum, cur habeant tantum nomen Patris, & Filij in frontibus, non etiam Spiritus Sancti, in quo signati sunt? Hoc fit, quia Antichristus & eius pessima synagoga peculiariter negant Patrem & Filium, 1. Ioan. 2. 22. *Hic est Antichristus qui negat Patrem & Filium*, sed ne aliquis audenter affirmaret Personam Spiritus Sancti non esse vnam ex tribus diuinis personis, statim in hoc cap. 14. Apoc. fit specialis mentio Spiritus Sancti, *Amodò iam dicit Spiritus vt requiescant.* In summa in monte Sion tunc erit salus & saluatio Esai. 37. 32. Est enim Ecclesia Ciuitas magna supra montem posita.

N. 2. Et audiui vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni; & vocem quam audiui, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis, &c.

Vox huius multitudinis Martyrum comparatur simul sono aquarum multarum, sono tonitrui magni, & sono citharædorum, nam Agnus (quem sequuntur) eamdem vocem habet, supra cap. 1. n. 15. *Vox illius tanquam vox aquarum multarum.* Vel dicas, quod hæc similitudo aquarũ multa-

multarum,& magni tonitrui,exprimit horum Martyrum multitudinem, Esai.17.12.*Tumultus turbarum sicut sonitus aquarum multarum*; & infra cap, 19. n. 6. *Et audiui quasi vocem turbæ magnæ & sicut vocem tonitruorum magnorum*, quæ verba nostris omninò cõsonant. Per aquas multitudo populorum designatur, vt infra cap.17.n.15. *Aquæ populi sunt, & Gentes*.& Psal. 76.*Viderunt te aquæ Deus,viderunt te aquæ & timuerunt.*

Hæc vox dicitur similis citharæ propter clamores Martyrum sub Antichristo, quibus clamoribus Deum, & cælestem curiam suauissimo concentu demulcebunt, & in illo certamine dulcissimam Deo & Agno vocem reddẽt, nam in eculeis distenti, quasi chordæ in cithara suauiter resonabunt,& ibi non minus percutientur,quam in cithara chordæ domantur. Et rectè hæc Martyrum multitudo æquiparatur citharæ,quia sicut in hoc instrumento concẽtus retinetur ex distinctis sonis, ita in hac Martyrum multitudine ex diversitate tormentorum harmonicus cõcentus suauiter resonabit,& sanè si pectora fidelium sunt citharæ in quibus per fidem musica cœlestis inhabitat,vt dicit Rupertus,multò magis Martyres illos debemus citharas appellare, in quibus suauissimus Deo cantus resonabit.

Ego existimo omnes homines esse citharas, prædestinati, in quibus non est peccatum, sunt citharæ benè sonantes,siue consonantes; prædestinati qui aliquando culpam committunt, dissonantes sunt citharæ, sed hæc dissonantia per pœnitentiam componitur, & iterum per eã reuocantur ad bonam consonantiam; miseros reprobos appello citharas contritas & confractas, in quibus cœlestis musica nunquam inhabitat. Nota quod cum in hoc versu agatur de vera Dei & Agni diuinitate, non potuit aptioribus instrumentis hæc confessio explicari, quam citharis iuxta illud Prophetæ.*Confitebor tibi in cithara Deus.*

Prosequitur textus: *Et cantabant quasi canticum nouum.* Omnes Sancti nouum dicuntur cantare canticum, quia

 ciui-

ciuitas illa ſancta Ieruſalem, de qua infra cap. 21. noua eſt, ideo nos admonet Apoſtol. ad Ephes. 4. *Renouamini & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis*, & Pſal. 127. *Filij tui ſicut nouellæ oliuarum &c.* & Martyres illi cantabunt canticum nouum, liberati ab omni diſcrimine, vt infra cap. 15. n. 3. *Cantantes canticum Moyſi ſerui Dei, & canticum Agni.* Cãtabunt ergo canticum nouum, ideſt nouæ liberationis, & maioris, quam fuit illa ſub Pharaone in mari rubro. Dicitur in præſenti *quaſi nouum*, quia erit ad inſtar cantici Moyſi in liberatione Ægypti, de quo Exod. 15. 20. Vel *quaſi* non ſemper eſt particula improprietatis, iuxta illud. *Vidimus gloriam eius gloriam quaſi Vnigeniti à Patre, &c.*

Proſequitur. *Et nemo poterat dicere canticum, niſi illa cẽtum quadraginta quatuor millia.* Erant Virgines & Martyres & ideo habent dona peculiaria, quæ non ſunt communia cæteris Beatis. Virgines poſſunt reliquorum prærogatiuis decorari, & ipſorum voces imitari, ſed reliqui non Virgines non poſſunt in ſuauiſſimo Virginum choro modulari, nam Virginitas amiſſa non reparatur, vel dic quòd cantus ille Martyrum ſub Antichriſto adeò gratus erit Deo, vt nullus cum illo valeat comparari. Sequitur in textu: *Qui empti ſunt de terra* quæ verba indicant hos Sanctos ſignatos eſſe de populo Iſrael, qui per terram ſignificatur, vt dixi ſupra cap. 8. n. 7. & alluditur ad locum Eſai. 51. 11. *Et nunc qui redempti ſunt à Domino reuertentur, & venient in Sion*, & hoc confirmatur, ex verbis huius textus infra: *Primitiæ Deo & Agno*, per quæ verba filij Iſrael deſignantur, vt probat Cornel. in præſ. nam populus Iſrael præ omnibus Gentibus electus fuit, & dilectus Deo, eique oblatus quaſi primitiæ, vt eſſet populus primus, & ſanctus, ad Rom. 1. 16. *Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti Iudæo primum*, & Ieremias populum Iſrael ſanctum appellat, & primitias frugum Dei cap. 2. n. 3. *Sanctus Iſrael Domino primitiæ frugum eius*, & eſdras lib 4. cap. 6.

n. 58.

n. 58. *Nos autem populus tuus, quem vocasti primogenitum, vnigenitum, & æmulatorem tuum,* vbi notandum est nomẽ æmulator, ad id quod supra dicit. *Hi sequuntur Agnum,* quæ verba ad Martyres refert Ribera.

Et vidi alterum Angelum &c. Dicens magna voce, Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius &c. N. 6.

Sequitur insignis Prædicatorum numerus, qui tempore Antichristi euangelizabunt aduersus eius nefandam legem, Synagogam, & ficta Sacramenta, ¶ Ab hoc versu describit S. Ioannes tres Prædicatores, quorum primus iudicium prænunciat & proclamat, secundus casum Babylonis, tertius iram Dei in eos qui acceperint characterem bestiæ. Hi Prædicatores erunt. S. Ioannes de quo in præsenti, Elias de quo n. 8. Henoch. de quo n. 9. vt dixi supra cap. 8. n. 13. cap. 10. in fine & cap. 11. Angelus hic qui volat per medium cœli est S. Ioannes, vt benè prodit Alcazar, & probatur expressè in d. cap. 8. n. 13. Habet Euangelium Æternum, nam suum Euangelium inchoauit à Diuinitate & Æternitate Verbi: *In principio erat Verbum* ideſt, ab æterno. Item quia venturus est iterùm prophetare Gentibus, populis & linguis, cap. 10. in fine. *Oportet te iterum prophetare Gentibus, & linguis,* ideo dicit in præsenti, *vt euangelizaret super omnem Gentem, & tribum, & linguam & populum.* Nota quod hi tres Patriarchæ & Prædicatores congregabunt omnes religiones, & erunt tres in mundo, quæ multitudine sanctorum virorum munitæ, Antichristum & Babylonem expugnabunt. Nota etiam quod hìc fit mẽtio Æterni Euangelij, vt excludatur falsa lex Antichristi, vt dixi initio huius capitis. De hac prædicatione supra montem Sion prophetauit Esai. cap. 40. n. 9.

Sequitur: *Timete Dominum.* Hoc erit thema prædicationis, nam qui timet Dominum, faciet bona, vt docet Ecclesiasticus, & Dauid Psalm. 32. *Timeat Dominum omnis terra*, & iterum: *Timete Dominum omnes sancti eius*, & scriptum est, quod Iudith insignis sanctitatis fœmina, Deum valdè timeret, Iud. 8. & Iob vir iustus dicitur timuisse Deū, cap. 1. & Tobias eximiæ charitatis vir iussit filio suo, ne quēquam adhiberet mensæ suæ nisi timentem Dominū. Tob. 1. & Saluator noster hoc ipsum docuit Matth. 10. *Timete eum qui animam, & corpus potest perdere.* Caueamus ab his qui Dominum non timent, nam omnia mala perpetrabunt.

Timete Dominum; id est, Christum, de quo, continuata serie loquitur, dum addit: *quia venit hora iudicij eius.* Christus duplici titulo Dominus noster est, & quia creauit nos, vt postea explicat, & quia emit, & redemit nos pretio magno sui pretiosissimi sanguinis, vt supra cap. 1. n. 5. vbi dixi & cap. 5. n. 9, & quamuis nomen *Domini* commune sit toti Trinitati, & tribus diuinis personis, tamen per antonomasiam hoc nomen conuenit Diuino Verbo, & Redēptori nostro, ideo dicitur in Missa: *Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus &c.* & in Symbolo Fidei, persona Patris & Spiritus sancti simpliciter profertur, sed persona Filij (vt docet Ecclesia) nomine Domini exprimitur: *Et in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei Vnigenitum*, & in omnibus orationibus additur: *Per Dominum nostrū Iesum Christum &c.* id que propria voce testatus est Saluator Ioan. 13. n. 13. *Vos vocatis me magister, & Domine; & bene dicitis sum etenim.*

Sequitur, *quia venit hora iudicij eius*, idest quia appropinquat, vt iam prophetauit S. Vincentius Ferrer, quem misticè representat hic Angelus. Nota quòd antequam veniat dies illa extremi iudicij, tot Prophetarum vocibus proclamata, præcedet hæc monitio Sancti Ioannis, vt peccatores de diuinæ iustitiæ vltione conqueri non possint, memoria etenim iudicij peccatores inducit ad pœnitentiā,

& Dei

& Dei timorem, & eos reuocat à peccato.

Et alius Angelus sequutus est dicens, Cecidit, cecidit Babylon illa magna quæ á vino iræ fornicationis suæ potauit omnes Gentes. N. 8.

Hic Angelus est Elias, à qua sententia non longè distat Victorinus, dum putat Eliam esse vnum ex his tribus Angelis. Elias prædicabit casum Babylonis, cuius vitia maximè detestatus est, dum degeret in mundo, & certauit olim contra Prophetas Baal 3. Reg. 18. & illo nouissimo tempore acrius in eos & Antichristianos insurget, quorum Synagoga vocatur Babylon, vt dixi cap. 13. ¶ Verba illa *Cecidit Babylon* significant actum instantem, vt genuine obseruat Cornelius. *Cecidit* ideſt, iam cadere incipit, vt supra cap. 11. n. 13. *Et decima pars ciuitatis cecidit*, iam incipit dissipari ciuitas illa diabolica, breui & prono casu cadet tota ea ciuitas in septima tuba, & est similis locutio Ierem. 51. 8. *Cecidit Babylon, & contrita est*, & Esai. 21. 9. *Cecidit cecidit Babylon*, & tamen his locis prædicebatur casus Babylonis futurus sub Cyro & Dario, non curant Prophetæ res dicatur in futuro, vel in præterito, quia futura apud Deũ certa sunt, & possunt dici iam præterita in sui certitudine, argumento textus in §. conditiones in fine inst. de verb. oblig. illa verba *Quæ á vino &c.* explicata sunt supra cap. 13. in fine.

Et tertius Angelus secutus est illos, dicens voce magna: siquis adorauerit bestiam, & imaginem eius, & acceperit characterem &c. & hic bibet de vino iræ Dei, quod N. 9.

mis-

Tertius Angelus erit Henoch qui prophetauit iudiciũ Domini aduersus omnes impios S. Iudas in Epist. n. 14. In hoc versu fit oppositio ad calicem Babylonis, vt dixi cap. 13. in fine. Bestia in præsenti est ecclesia malignãtium, de qua cap. 13. n. 11. Imago bestiæ est Antichristus, vel draco, quem Babylonij colunt, Dan. 14. 22. Character bestiæ est Sacramentum eius Synagogæ viperinæ. Igitur si quis acceperit characterem, vel adorauerit bestiam, vel imaginem eius, *bibet de vino iræ Dei*, idest incurret diuinam indignationem, & bibet calicem vini furoris Dei, alludit Ierem. 25. 15. & hoc vinum furoris Dei, vt inquit in præsenti, miscebitur alio vino vel mero, quæ verba indicant, iram diuinam tunc in Antichristianos geminandam, nec vlla clementia mitigandã, actus geminatus potentior est l. Balliста ff. ad Trebell. Solet vinum iræ Dei aqua misericordiæ misceri, Dauid *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaueris*, sed tunc aduersus Antichristianos, vinum furoris Dei alio vino furoris miscebitur, vinum vino mistum potentius est, & magis inebriat, Psalm. 74. n. 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto*, & addit. *Et inclinaui ex hoc in hoc: verumtamen fæx eius non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ.*

Sequitur *Et cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum Sanctorum, & ante conspectum Agni*, Hic est effectus calicis vini furoris Dei, quem potabunt Antichristiani, Psalm. 10. n. 6. *Pluet super peccatores laqueos ignis, & sulphur*, Ignis vrit, sulphur fætet, igne cruciabuntur Antichristiani, qui vitiorum ignem non curabunt extinguere, sulphure torquebuntur, nam illis dulcis erit fœtor luxuriæ, & hoc erit in conspectu Angelorum, & Agni, in quorum præsentia non timebunt mala perpetrare. Sed quid est quod dicit: *Ante conspectum Agni*: An visuri sunt impij Christum? cuius visio beatos facit, iuxtà

illud

illud *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Minime: sed hoc dicitur, nam Antichristiani tanto terrore in inferno corripientur, vt videatur eis Christus semper præsens coexistere, & iræ vltionem inferre, sicut olim Cain Deum quasi continuo prementem fugiebat Genes. 4. eodem modo Adamus in statu peccati præsentiam Dei quasi imminentem fugiebat, & se abscondebat a facie eius. Fugit impius nemine persequente, nam sceleratus homo ita præsētem sibi irā Dei & vultum contemplatur, vt flagella conscientiæ ab eo sibi incuti sentiat.

Sequitur *Et fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum: nec habent requiem die ac nocte*, concordat Esai. 34. n. 10. *Nocte & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus eius*, idque in die vltionis Dei supra montem Sion, vt prædixerat idem Propheta n. 8. *Annus retributionum iudicij Sion, & conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur*, & Psalm. 17. n. 9. *Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie exarsit: carbones succensi sunt ab eo.* Hæc verba satis indicant inferni tormenta æterna futura, quia miseri damnati obliuioni in æternum traditi sunt, nec eorū recordabitur Deus, hac de causa, S. Ecclesia suppliciter rogat nè nostri Deus in finem obliuiscatur, quia obliuio Dei est sors misera damnatorum, hi non sunt in libro vitæ Agni, idest, in memoria æterna, nam hic est liber, vt supra cap. 5. vbi dixi. In hoc libro sunt iusti, ex illo *In memoria æterna erit iustus*, sed præciti in obliuione æterna, & ex verbis huius textus error Origenis manifestè refutatur, qui dicebat, post diem iudicij reprobos reddituros ad vitam & requiem, lapsus est in manifestissimam hæresim, quia semel loquitur Deus, & infallibile est ipsius decretum.

Considera mortalis homo hæc quæ proximè recitaui, manda memoriæ pœnas illas æternas, in quibus damnatorum corpora post iudicium instar carbonum volutabuntur, vt iam in abyssum mergantur, iam in altum

conſcendant, iam in omnem partem gyrari & raptari videantur, id que iugiter nocte & die, vt dicitur in præſenti, per omnia ſecula, per omnem æternitatem; ante plagam quære remedium; dum tempus habes, age pœnitentiam, ne incautus apprehendaris & veniat tibi plaga inſanabilis. In ſumma hi tres Prædicatores congregabunt magnam multitudinem ſignatorum Dei & Chriſti, & conſtituent Eccleſiæ Sanctæ principatum duraturũ in ſecula, & impij in æternum cruciabuntur cum Babylone perituri.

N.12. Hìc patientia Sanctorum eſt qui cuſtodiunt mandata Dei & fidem Ieſu.

In illo tempore, cum inualuerit tremenda illa Antichriſti tribulatio & venerit Prophetarum prædicatio, neceſſaria erit patientia, tunc examinabuntur fides & patientia, vt ſupra cap. 13. n. 10. Fides examinabitur nè credant fictis Antichriſti miraculis. Patientia né cedant tormentis, dicit Apoſtolus *Patientia vobis neceſſaria eſt*, & ad Heb. 12. *Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen.* Patientia probatur in tollerantia tormentorum propter fidem, in ſuſtinenda contumelia, in bonorum temporalium ablatione, in filiorum amiſſione, in flagellorum Dei corporali perpeſſione, ac tandem in voluntaria ieiuniorum, vigiliarum, & diſciplinæ operatione. Vltima verba conſonant verbis Ioan. 14. *Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, hic eſt qui diligit me.*

N.13. Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodò iam dicit Spiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur illos.

Ver-

Versu antecedenti patientiam commendauit, nunc retribuit præmium, & solatium post tribulationem, quasi dicat, sustinete patienter, amodó veniet requies, amodó ideſt, post hæc; post labores veniet requies, nam ita dicit Spiritus Sanctus, ita promittit veritas indefectibilis, consolator & refrigerium afflictorum, potest etiam spiritus in præsenti accipi pro tota Beatissima Trinitate ex doctrina Apostoli 2. Cor. 2. *Dominus Spiritus est*, & Ioan. 4. ¶ Inquit textus *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, si mortui quomodo moriuntur? Dic Beati mortui mundo & peccatis & propriæ voluntati, prius agit de morte mystica, deìn transit ad mortem phisicam & realem, Beati ergo mortui qui crucifixi sunt mundo, ad Galat. 6. *Mihi mundus crucifixus est & ego mundo*, & ad Rom. 6. *Qui mortui sumus peccato, quomodo ad huc vibemus in eo?* Christiani dum seruant mandata Dei, & fidem Iesu, per legem Dei spiritualiter intellectam, mortui sunt legi, ne viuant secundum propriam voluntatem, & carnales sensus, ad Galat. 2. n. 19. *Ego enim per legem, legi mortuus sum, vt Deo viuam*, & ad Colos. 3. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

Opera iustorum sequuntur illos, ideſt, non laborauerunt in vanum, nec frustrà tormenta pro Christo patientur, non perdent operam, post tribulationes inuenient mercedem laboris, & pro mensura tormentorum coronabuntur. Quam diuersa tunc & dissimilis Christianorum & Antichristianorum sors, hos non habituros requiē die ac nocte & in æternum dixerat paulò ante n. 11. illis iam dicit Spiritus Sanctus vt requiescant, quià licet eos Antichristus omni suppliciorum genere diuexaturus sit, requiescent tandem à laboribus suis, & momentanea tribulatione æternæ fœlicitatis requiem obtinebunt. Nota tandem quod Martyres se mortuos reputant & Dei victimas, & fortè Antichristus nos Christianos appellabit mortuos in Sanctissimæ Crucis improperium.

N. 14. Et vidi & eccè nubem candidam: & super nubem sedentem similem Filio hominis habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam &c.

Inextricabilis apparuit hic locus interpretibus Sed illud palàm est in his falcibus resecandam esse pestiferam Antichristi legem, extinguendum Sarracenismum, reformandam que hominum vitam. Et dicendum est in præsenti non agi de iudicio vniuersali, sed de alio iudicio præambulo vt dispereat regnum Antichristi. In hoc iudicio peribit Constantinopolis Babylonis filia Ierem. 51. 33. *Filia Babylonis quasi area tempus trituræ eius, adhuc modicum, & veniet tempus messionis eius.* Hoc iudicium fiet vt exterminetur cum Antichristo Turcarum potentia, Dan. 7. 26. *Et iudicium sedebit, vt auferatur potentia, & dispereat vsque in finem.* Tunc gramen seminis mali eradicabitur de terra, & Babylon non audietur ampliùs.

Sed redeamus ad falces, & explicationem. Admonendi sumus hunc versum vsque in finem capitis nectendum esse capiti 19. Apoc. Est versùs hic exscriptio illius capitis. Ad rem ergo: Qui sedet super nubem Christus est, vt interpretes admittunt. Christus in præsenti sedet super nubem candidam, infra cap. 19. super equum album. Hìc habet falcem acutam, ibi gladium acutum. Hìc & ibi habet coronam in capitè. Corona symbolum est iudicij 4. Esdras 5. n. 42. *Coronæ assimilabo iudicium meum.* Dicet aliquis in præsenti sermonem esse de iudicio finali, propter verba textus: *Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora vt metatur, quoniam aruit messis terræ*, per messem designatur mundi finis Matth. 13. *Sinite vtraque crescere vsq; ad messem*, præcipuè nam verba illa *Quia venit hora vt metatur* iudicium exprimunt, vt supra. n. 7. *Quia venit hora iudicij eius.* Hæc difficultas parùm obstat, vt obseruat Alcazar

cazar, nam multoties per messem & trituram designatur vindicta, & supplicium, & messis peculiariter homines significat, Luc. 10. *Messis quidem multa*, & messes aridæ in præsenti designant improbos, vt de populis Nemrim dicitur Esai. 15. 6. *Aquæ Nemrim desertæ erunt, quia aruit herba*, præcipuè quia Antichristiani habebunt Sacramentum panis, in quo nulla erit substantia, & ideò dicuntur in præsenti messes aridæ.

Sequitur in textu. n. 15. *Et alius Angelus exiuit de templo clamans voce magna ad sedentem super nubem.* Hic Angelus designat aliquem insignem sanctitate virum, qui illo tempore petet vindictam aduersus Antichristianos. ¶ Sequitur. n. 17. *Et alius Angelus exiuit de templo quod est in cælo, habens & ipse falcem acutam.* Prior Angelus exiuit de templo ideſt, Ecclesia militante. Hic secundus Angelus exit de templo quod est in cœlo. Hic secundus Angelus qui habet falcem vindemiatoriam est S. Michael. Christus Dominus habet falcem messoriam, S. Machael falcē vindemiatoriam aduersus Babylonem & reprobos, in hoc iudicio sunt quasi coniudices, sicuti in iudicio particulari cuiusque hominis, vt refert Viegas cap. 12. Apoc. comment. 1. sect. 18. n. 7. Hic. est Angelus qui inuitat omnes aues ad cænam magnam Omnipotentis Dei ad deuorandos Reges terræ & Antichristianos infra cap. 19. n. 17. quos omnes in falce vindemiatoria perdet, & mittet in stagnum ignis & sulphuris.

Et alius Angelus exiuit de altari &c. Dicens, Mitte falcem acutam, & vindemia botros vineæ terræ quoniam maturæ sunt vuæ eius. Et misit Angelus falcem &c. & vindemiauit vineam terræ & misit in lacum iræ Dei magnum. N. 18.

Pannonius putat, Angelum hunc, qui exit de altari, esse Eliam qui dicitur habere potestatem supra ignem 3. Reg. 18. Eccles. 48. 3, Sed iam probaui cap. 8. n. 3. hūc Angelum custodē altaris præpositum & deputatū esse ad offerenda sacrificia & orationes, Hic petit vindictam cōtra noua sacrificia & ficta sacramenta Antichristianorum. Vinea aliquando designat populum Israel Esai. 5. n. 7. *Vinea enim Domini exercituum domus Israel est*, & Psalm. 79. n. 9. *Vineam de Ægypto transtuliſti.* Aliquando etiàm ponitur pro Ecclesia Esai. 5. n. 4. sed in præsenti vinea ponitur pro mundo, & id propriè significat in sacris literis, vt constat ex parabola Saluatoris Matth. 21. 33. vbi dicit quod homo quidam plantauit vineam, & locauit eam agricolis, quæ parabola tota est de mundi vinea, & habitatoribus eius, & Luc. 13. per vineam mundus, per ficulneam quæ non facit fructus, homines designantur.

Botrus symbolum est reproborum, Mich. 7. *Non est botrus ad comedendum.* Esai. 5. n. 4. *Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas.* Antichristiani vt sæpè dixi, sunt botri pleni mero, ebrij sanguine. Etiam vocantur vuæ maturæ, quia in illo calice Babylonico exuberat plenitudo malitiæ, Ioel 3. 13. *Exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum.* Vindemiatio in præsenti significat stragem & flagellum, sicut in sui vastatione plorat Ierusalem Threnor. 1. n. 12. *Vindemiauit me in die iræ furoris sui.* Hæc vindemia fiet, vt extincto Antichristo, excluſisque reprobis, Christi regnum in æternum perseueret, vt supra cap. 11. n. 13. vbi dicitur venisse tempus exterminandi eos qui corruperunt terram, & Dan. 9. 24. *Et finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas*, quæ omnia venient in hac vindemia & septima tuba.

Mittentur hi botri, hi Antichristiani *in lacum magnum iræ Dei*, id est in infernum, hic est lacus, qui etiam dicitur puteus abyssi supra cap. 9. n. 1. & stagnum ignis infra cap. 19. n. 21. & mare mistum igne infra cap. 15. n. 2. &

torcu-

torcular vini furoris Dei d. cap. 19. n. 15. Nunc repete id quod supra dixi de idẽtitate huius capitis & capitis 19. nã hìc dicitur quod improbi mittendi sunt in lacum iræ Dei & ibi. n. 15. *Et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei*; hìc dicitur *Calcatus est lacus*, eodem modo ibi *Calcat torcular* vnde sequitur lacum istum esse torcular illud quod calcatur à Christo Domino ibi.

Lacus ergo infernus est, Esai. 14. n. 15. *Verumtamen ad infernum detrahèris in profundum laci*, & n. 19. *Descenderunt ad fundamenta laci*, & cap. 24. 21. *In die illa visitabit Dominus super malitiam cœli in excelso, & super Reges terræ, qui sunt super terram, & congregabuntur in congregatione vnius falcis in lacum, & claudentur ibi in carcerem, & post multos dies visitabuntur*, qui locus expressè designat vindemiam huius textus, & illa verba *Post multos dies visitabuntur* clarè indicant, iudicium futurum multo post vindemiam, & textum nostrum accipi non posse de iudicio extremo, sed de supplicio aduersus peccatores, quibus parata est fouea, Psalm. 97. 13. *Fodiatur peccatori fouea.*

Nota quòd lacus inferni est fouea, quæ habet suas mãsiones, aliam sulphuris, aliam ignis, ibi alij damnantur ad pontem, alij ad castellum, alij ad fluuium, alij ad rotundam domum, vt aliquando retulisse dæmonem refert Cornelius, pro mensura delicti fit aggrauatio pœnæ. Ibi est fumus, & sulphur fœtens, gelu stringens, vipera mordens, terror vmbrarum, stridor dentium, fames insatiabilis, sitis inextinguibilis, defectus sine defectu, finis sine fine, & mors sine morte. Te deprecor Omnipotens, & Clementissime Deus Pater Domini nostri Iesu Christi qui tecum regnat in vnitate Spiritus Sancti, vt per sanguinem Filij tui Domini nostri nos liberare digneris à tanta miseria, cuius sola memoria terret & cruciat.

Et calcatus est lacus extra ciuitatem, & exiuit sanguis de lacu vsque ad frænos equo- N. 20.

equorum per ſtadia mille ſexcenta

Proſequitur metaphoram vineæ, vindemiæ, vuarum, & torcularis, ſiue laci, & inquit, calcandam eſſe in torculari diuinæ vindictæ copioſiſſimam vindemiam reproborum, ſiue Antichriſtianorum, ex qua decurrat flumen profundum per ſtadia mille ſexcenta & adeò profundum vt pertingat ad frænos equorum, & eſt hyperbole ad denotandam multitudinem eorum qui in hac falce vindemiatoria interimendi ſunt, quemadmodum enim cognoſcimus flumen eſſe magnum & profundum ab equis traijcientibus illud, vbi & aqua vſque ad frænos pertingit magno ſubmerſionis periculo, ita & præſens metapho-ra indicat multitudinem horum damnandorum, quorum animæ mittentur ad tartara in latiſſimum flumen miſeriarum & corpora per totū orbem ſpargētur beſtijs deuorā-da. Tunc enim purgabitur mūdus omnibus malis, & reprobis, arg. cap. Et purgabit. 50. diſt. eorumq; per totum orbē fiet ſtrages adeò magna vt redundet in latiſſima flumina Sophon. cap. 1. n. 17. *Effundetur ſanguis eorum ſicut humus, & corpora eorum ſicut ſtercora.* Dominus enim tunc imponet ſilentium omni peccatori: vt dixi cap. 8. & montes tabeſcent ſanguine peccatorum Eſai. cap. 34. n. 3. & n. 6.

Per ſtadia mille ſexcenta, ideſt per quatuor mundi partes fiet hæc ſtrages. Numerus mille ſexcēti à quadragenario tetragonus eſt, nam quadragies quadraginta faciunt 1600. Hunc etiam numerum cōponunt quatuor quadringenta. In menſura Dei fit computatio per ſtadia, ſic infra cap. 21. n. 16. menſura Ciuitatis Cœleſtis fit per ſtadia duodecim millia. Dices quare calcandi ſunt extra Ciuitatem? Reſponde quia torcular ſiue lacus eſt infernus vbi nulla eſt Ciuitas, nec ordo compoſitus. Vel extra Ciuitatem, id eſt mundum, qui eſt Ciuitas reproborum. Vel extra Ciuitatem, id eſt deleta & extincta impiorum Ciuitate, quæ ſupra cap. 11. cœpit diſſipari. Vel extra Ciuitatem, quia

in

in inferno nulla eis restat spes Cœlestis Ciuitatis, erunt namque Apolides & extorres, arg. l. 1. §. hi quibus ff. de leg. 3.

Sanguis dicitur exire de lacu, id est de corporibus illorum, qui sunt in lacu, in quo tamen prosecutus fuit metaphoram, nam sicut mustum exit de torculari, ita cum reprobi sint vuæ & botri, & lacus sit infernus, ideò dicitur quòd sanguis exit de lacu, siue torculari.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

HIc textus satis explicatus est supra cap. 8, & cap. 13. in fine & cap. 7. in fine. Tria tantum in textu enodabuntur, quæ indigent explicatione. Primum quid sit hoc mare quasi vitreum? Secundum quid sit templum tabernaculi testimonij? Tertium quid sit impleri templum fumo à maiestate Dei, & quare nemo tunc poterit intrare in templum donec consummentur plagæ? Sed ante quam hæc explicemus vt recto ordine procedat interpretatio, aduertendum est, verba nostri textus, quæ ponuntur initio ibi. *Et vidi aliud signum in Cœlo magnum & mirabile: Angelos Septem habentes plagas Septem nouissimas. Quoniam in illis consummata est ira Dei*, posita esse per anticipationem, vnde ponenda & constituenda sunt post numerum quartum, vt expresse probat Cornelius in præsenti, vnde id quod dicitur in præsenti de mari vitreo, continuandum est cum lacu iræ Dei, de quo cap. antecedenti in fine, sane S. Iohannes, qui hanc prophetiam modis omnibus obsignauit, solet vti anticipationibus, frequentibus que repetitionibus, vt supra adnotaui.

Igitur mare mistum igne, est lacus ille infernalis, & torcular furoris Dei in quē paulo ante detrusi fuere Antichristiani. Dicitur mare propter profunditatem eius, est tan-

tanquam mare vitreum quia damnati ſicut vaſa figuli vitrea ibi conteruntur, & incenduntur ſupra cap. 2. n. 27. Eſt mare miſtum igne propter fornacem abyſſi flammas conglobantem & eiaculantem, in quibus corpora damnatorum volutantur. Super hoc mare vidit S. Iohannes, *eos qui vicerunt beſtiam*, ideſt Babylonem, *& imaginem eius*, dæmonem, & Antichriſtum, *& numerum nominis eius* ideſt legem & numerum præceptorum, & ſicut numerus Eccleſiæ Romanæ ſunt quatuor Euangelia, ita Synagoga illa ſatanæ habebit ſuam legem & numerum. Recte ſupra mare miſtum igne ſunt Sancti, quos non pertingit laci infernalis miſeria: ſuper hoc mare cantant canticum Moyſi, & canticum nouum Agni, in quo alluditur ad mare Rubrum, quando Iſraelitæ liberati a mari, & potentia Pharaonis in tympanis & choris præcinebant, maiori gaudio cãtant Beati liberati à Beſtia & Antichriſto, dicentes *magna & mirabilia ſunt opera tua Domine*, quæ uerba deſumpta ſunt ex cap. 3. Daniel a n. 26. quando tres pueri miſſi in fornacem ignis ardentis (in qua repræſentatur infernus) ſtantes ſuper flammas Deum laudabant; & Eſai. 51. n. 11.

Templum tabernaculi teſtimonij, eſt templum cœli per tabernaculum cœlum ſignificamus infra. cap. 21. n. 3. *ecce tabernaculum Dei cum hominibus*, & ſupra cap. 13. n. 6. nomen teſtimonij ad tabernaculum pertinet, & templum tabernaculi teſtimonij quod erexit Moyſes, templum cœli deſignabat & ſicut in hoc templo tabernaculi teſtimonij, Iſraelitæ aduerſarios deturbabant Numer. cap. 1. à n. 50. & Ioſue cap. 18. a n. 1. & ab hoc templo dimanabant vindictæ & ſupplicia contra inimicos Iſraelitici populi, ita & à templo tabernaculi teſtimonij, quod eſt in cœlo exibit vindicta contra Antichriſtianos, & ab eo exeunt Angeli cũ phialis iræ Dei. ¶ Impleri templum fumo à maieſtate Dei & prohibitio ingrediendi templũ, ſignificat, diuinam iuſtitiam eo tempore nulla clementia mitigandam, nam eſt dies magnus iræ Dei, quo delebit

pecca-

peccatores, est enim dies ille, dies caliginis & fumi. Amos cap. 5. n. 20, *Numquid non tenebræ dies Domini & non lux: & caligo & non splendor in ea, odi & proieci festiuitates vestras*, de quo vberius supra cap. 8. & 9.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

TOtus hic textus explicatus est in cap. 8. & 9. nam quælibet phiala respondet singulis tubis septem Angelorum, & vltima pars huius textus à n. 17. explicata est in cap. 8. n. 2. & in cap. 9. n. 13. & 14. & plenius in cap. 11. n. 15. solum restat explicare id quod dicitur de triplici spiritu dæmoniorum, qui procedunt de ore bestiæ, draconis, & pseudoprophetæ, hi non homines, sed dæmones erunt, qui visibili hominum specie tanquam legati ad congregandos Reges terræ procedent. Draco est diabolus. Bestia in præsenti est Antichristus, qui etiam bestia dicitur, vt dixi supra cap. 13. Pseudopropheta est tota congregatio falsorum sacerdotũ Antichristi, vel hic ponitur pro Calipha, & præcipuo ac summo illorum Antistite.

Dicuntur exire de ore harũ bestiarum, quia iussu & imperio eorum procedent ad Reges terræ congregare eos ad diem magnum omnipotentis Dei, vt pugnent cum Agno. Hanc dæmonum, & bestiarum insaniam deridens Dominus, & redemptor noster, ait: *Ecce venio sicut fur*, quasi dicat, congregamini insani Reges terræ, ecce clanculum, & ex improuiso præueniam vos, & simul collectos corripiã, & vno quasi ictu & telo conficiam, hic est dies meus magnus, quo irridebo vos, vt olim prophetauit Dauid Psal. 2. n. 2. *Astiterunt Reges terræ & Principes conuenerũt in vnũ aduersus Dominum, & aduersus Christum eius*, & inferius. *Qui habitat in cœlis irridebit eos*, tunc in furore meo corripiam vos, & ostendam turpitudines vestras, & nudi fugie-

tis Amos cap. 2. n. 16. *Et robustus corde inter fortes nudus fugiet in illa die.* Beatus qui seruat vestimenta sua, ne tunc nudus appareat, tunc enim erit planctus Adadremmon in campo Maggedon, Zachar. cap. 12. n. 11.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

IN hoc capite vidit S. Ioannes purpuratam meretricem, cui nomen Babylon, insidentem bestiæ septem capitum, & decem cornuum. Mulier quæ sedet super bestiam est multitudo impiorum illius malignantis synagogæ, de qua supra cap. 13. Hæc mulier est congregatio diabolica toto Orbe diffusa, huius diabolici cætus caput est Babylõ, ideò ponitur in capite mulieris *Babylon magna*. Tribus constat ciuitas diabolica, dæmone, Babylone, improbis, dæmon est fundamentum, ideò ponitur mulier supra bestiam. Improbi sunt membra huius ciuitatis diabolicæ toto Orbe diffusæ. Babylon est caput huius ciuitatis, Constantinopolis est Babylon, vt dixi cap. 13. Et sicut S. Romanæ Ecclesiæ caput est Roma, Ecclesiæ Antichristianæ caput & præcipua sedes erit Constantinopolis, vnde supra cap. 16. n. 4. cum dicitur, quintam phialam effusam esse in sedem bestiæ, potest intelligi de Constantinopoli, ni mauis sedem bestiæ esse totum regnum Antichristi, vt statim explicat d. cap. 16. quia cum dixisset effusam fuisse phialam in sedem bestiæ, continuo addit, *Et factum est regnum eius tenebrosum*, & in præsenti dicitur quod meretrix sedet super aquas multas, id est super populos sibi subiectos, & sic sedes bestiæ supponit pro regno quod ei paret.

Valdè à veritate defecerunt, qui mulierem non discriminarunt à bestia, nam est alia, & diuersa à bestia; mulier enim est instar equitis, bestia instar equi. Bestia coccinea (quæ etiam draco dicitur rufus) est dæmon cum toto nequitiæ corpore, impiorumque Monarchia, quæ illum

ducem

ducem & Regem veneratur. Constantinopolis & cætus impiorum se habent per modum vnius corporis, in quo membra sunt improbi, caput Constantinopolis, diabolus est equus in quo equitant omnes impij. Meretrix appellatur Constantinopolis tum ob fornicationes spirituales, id est idololatrias, Nahum 3. Ezech. 16. à n. 30. Iudic. 2. 17, Psalm. 72. 27. in quibus anima, relicto sponso Deo, descisit ad idola, quasi ad adulteros, tum etiam quia ea ciuitas sentina est totius fornicationis carnalis, rectè ergo meretrix dicitur, vt Nahum 3. 4. Ezech. 16. 30. Dicitur etiam sedere super aquas multas, quia præsidet multis Gētibus, vt olim antiqua Babylon, Ierem. 51. 13. Diuitiæ huius meretricis designant Turcarum potētiam, Ezech. 16. à n. 12. Verba illa *Mulierem ebriam* concordant Esai. 56. in fin.

Verba illa difficillima sunt, *Bestia quam vidisti fuit & non est, & ascensura est de abysso, & in interitum ibit*, quæ omnino referenda sunt ad dæmonem, qui fuit in existimatione, & postea factus est nihil, demum in mundi fine ascendet de abysso, vt iterum eat in interitum. Fuit ergo quia positus fuit in monte sancto Dei Ezech. 28. 14. *Tu Cherub extentus, & protegens, & posui te in mōte sancto Dei*, sed postquam peccauit, nihil fuit, idque idem Propheta exprimit, n. 16. *Peccasti, & eieci te de monte Dei*, & inferius: *Qui viderint te in Gentibus obstupescent super te. Nihil factus es*, en quomodo fuit, & non est, Sed in mundi fine, permittente Deo, ascendet de abysso, & intendet iterùm super astra Dei exaltare solium, sed ibit iterùm in interitum, ò miser, quem formauit Dominus ad illudendum tibi, ibis semper in interitum, vt inquit idem Propheta, *Nihil factus est, & non eris in perpetuum.*

Dicitur in præsenti, quod mirabuntur Gentes *Videntes bestiam quæ fuit, & non est*, in quibus verbis explicandis se maximè interpretes discruciant, sed hìc alludit ad locum Esaiæ cap. 14. n. 9. vbi Gentes casum hunc Luciferi admirantur: *Omnes Principes terræ surrexerunt de solijs suis, omnes*

Principes nationum, vniuersi respondebunt, & dicent tibi, & tu vulneratus es, sicut & nos, nostri similis effectus es. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum, &c. Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer? & inferius: *Verum tamen ad infernum detraheris in profundum laci. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient, numquid iste est vir qui cõturbauit terram. Qui posuit orbem desertum, & vrbes eius destruxit, vinctis eius non aperuit carcerem.* Sed hæc admiratio eorum erit qui non sunt scripti in libro vitæ, nam prædestinati benè noscunt, Deum posse Luciferum millies deturbare, & in tartara mittere, & detrudere.

Quod sequitur de septem montibus, & septem Regibus fusè explicatum est in cap. 12. n. 3. & ibi etiam de decem Regibus qui accipient breui tempore imperium post bestiam, & vniuerso orbi præerunt, & surgent in Constantinopolim, vt eam funditus euertant, surget tũc gens contra gentem, & Babylon hæc magna igni concremabitur, vt dicit seq. cap.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

COnstantinopolis euersionem, quam superiore capite S. Ioannes summo digito perstrinxit, hoc capite luculentius explicat, & describit eius excidium, & incendium, & luctum & planctum mercatorum, ac tandem Sanctorũ gaudium, & exultationem in eius euersione. Hunc textum explicabo, quasi literam salutando. Angelus de quo n. 1. est S. Michael à cuius gloria terra illuminatur, vt supra dixi cap. 10. hic Angelus habet potestatem magnam quia est Princeps Angelorum.

Cecidit cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorũ, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ: En quomodo Babylon facta est in

tres

tres partes, vt dixit supra cap. 16. n. 19. *Et facta est ciuitas magna in tres partes.* Hæ sunt. Habitatio dæmonum. Custodia spiritus immundi. Custodia volucris odibilis, & potest hìc sumi Babylon vel pro tota ciuitate impiorum orbe difusa, vel pro Metropoli siue Constantinopoli. Cecidit igitur Babylon, id est cecidit ciuitas impiorum cum sua Constantinopoli, & facta est habitatio dæmoniorum, quia hanc ciuitatem & cætum impiorum occupant dæmones, facta est vtique custodia volucris immundæ, quia in inferno etiam habitant volucres immundæ, vt memini me dixisse in cap. 9.

Possunt etiam hæc referri ad Constantinopolim, quæ adeò vastabitur, vt fiat habitatio dæmonum & bestiarũ, ita vt nemo in eam audeat intrare, sicuti videmus multas domos desertas ob multitudinem phantasmatum, & in hoc sensu dicitur de antiquæ Babylonis euersione, *Non habitabitur vsque in finem*, Esai. 13. & inferius: *Sed requiescẽt ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi*, & cap. 34. n. 14. *Occurrent dæmonia, onocentaurus, & pilosus clamabit alter ad alterum, ibi cubabit lamia.* Ezech. 5. 14. Sophon. 2. 5. ¶ Ad mores dici potest. Quod dæmones sunt spiritus immundi, & volucres immũdæ plenæ fætore, volucres quippe nominantur, quia per aera more ventorum indesinenter discurrunt, custodes dicuntur Babylonis quia impios custodiunt, ne aliquando resipiscant, & saluentur.

Dicitur nu. 4. *Exite de illa populus meus* alludit ad antiquam Babylonem, quando euersa est à Cyro, nam clamabant Prophetæ, vt populus Dei egrederetur Babylone, Esai. 48. n. 20. *Egredimini de Babylone.* Ierem. 50. 8. *Recedite de medio Babylonis*, & cap. 51. n. 6. *Fugite de medio Babylonis* & n. 45. *Egredimini de medio eius populus meus*, Zachar. 2. n. 7. *O Sion fuge quæ habitas apud filiam Babylonis.* Exite ergo de illa populus meus, ne participes sitis delictorum eius, quod intelligendum est in executione, in effectu, non

in

in causa, vt postea explicat, *& de plagis eius non accipiatis*, quo casu participes essent delictorum eius in executione & effectu.

Dicitur n. 5. *Quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cœlum*. Est hyperbole per quam explicatur multitudo peccatorum Babylonis, quasi dicat, in eum cumulum excreuerunt peccata eius, vt exaggerentur in cœlum, & ante conspectum Dei, ita vt eum ad sumendam vindictã prouocent, quo sensu & Ieremias dicit cap. 50. *Peruenit iudicium eius vsque ad cœlum*, & de Niniue Dominus loquitur, dicens. *Ascendit malitia eius coram me* Ion. cap. 1. n. 2. idem dicitur de Sodoma Genes. 18. *Clamor Sodomorum multiplicatus est*, & inferius, *Peccatum eorum aggrauatum est nimis*. Quasi dicat Deus, amplius dissimulare non possum, peruenerunt peccata vsque ad cœlum, ipsa se sistunt ante me, ita vt necesse sit eorum recordari.

Dicitur n. 6. *Reddite illi sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate duplicia*, idem dicitur de antiqua Babylone, Ierem. 50. 29. *Reddite ei secundum opus suum, iuxta omnia quæ fecit, facite illi*. Duplicate duplicia, id est, duplicate gaudiũ & lætitiam in euersione Constantinopolis, ipsa enim gaudebat in martyrio Sanctorum, præcipuè tempore Antichristi, duplicate gaudium in eius excidio, & hoc dicitur per metaphoram, sumpta similitudine à conuiuio, vbi is qui accipit poculum, duplicat annonam, siue potum in eodẽ poculo. Sequitur: *Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit: tantum date illi tormentum & luctum, quia in corde suo dixit: sedeo Regina & vidua non sum, & luctum non videbo*. Alludit ad antiquam superbiam Babylonis Esai. 47. n. 7. *In sempiternum ero domina*, & n. 8. *Non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem*, Sophon. 2. 15. sed quia hæc dixit in corde suo, videbit luctum & viduitatem, vt in simili de Ierusalem prophetauit Ierem. Thren. 1. *Facta est quasi vidua domina Gentium*, Ezech. cap. 5. n. 14.

Dicitur n. 8. *In vna die venient plagæ eius, mors, luctus,*

&

& fames. Impij non putant se luctum visuros, sed cum rapiuntur ad tartara, inopinatò eis luctus accrescit, dicente Domino, *Ibi erit fletus & stridor dentium*, Ierem. 50. *Illaqueati, & capta es Babylon & nescibas*, simili casu ruit Ierusalē, Ierem. 32. ¶ Sequitur, quod plangent se super illam Reges terræ. Hi Reges erunt potentes terræ, vel potētati, vicini Constantinopoli, qui videntes eam vrbem incendio extingui, lugebunt super illam, vt olim super Tyro euersa, Ezech. 26. 16. *Et descendent de sedibus suis omnes Principes maris &c. Et assumentes super te lamentum, dicent tibi: Quomodo perijsti quæ habitas in mari*, & cap. 27. à n. 29.

Dicitur n. 14. *Et poma desiderij animæ tuæ discesserunt à te*, id est poma tui victus & delectationis, vel fructus, quos tua concupiscentia præoptabat, vna tecum perierunt. Vide Ezech. cap. 27. Nota quantus sit improborū dolor, eo quòd pereant delectamenta cum Babylone. Amant terrena, quia maiora quæ in cœlo sunt, non cognoscunt, sicut pueri amant nuces, poma, & crepundia sua, quia delitias virorum non gustauerunt, & rustici casas suas & pecora diligunt, quia palatia non viderunt, debebant potiùs improbi cognoscere, omnia esse exilia, infirma, caduca, breuia præ cœlestibus, diuinis, immensis, & æternis.

Verba quæ sequuntur à nu. 17. vsque ad 19. desumpta sunt ex cap. 27. n. 29. Ezech. & cap. 26. n. 16. vbi etiam nauigantes mittunt puluerem super capita sua præ dolore vastationis Tyri. Sanè quæ dicta sunt à Prophetis de excidio primæ Babylonis, Niniue, Idumeæ, Damasci, Tyri, & Ægypti, hæc omnia, & multo maiora dicuntur in præsenti de euersione & ruina Constantinopolis, vndè nil mirū si verba Propherarum ad huiusmodi excidium trahantur, præcipuè cum omnes Gentilium ciuitates debeant simul perire cum Babylone hac magna, vt supra cap. 16. n. 19. Verba illa: *Exulta super eam Cœlum* desumpta sunt Ierem. 51. 48. & verba illa: *Et sustulit vnus Angelus fortis lapidem quasi molarem*, desumpta sunt Ierem. 51. 63. Esai 13. à n. 20

Ezech.

Ezech.26.n.20. & illa verba: *Et vox citharædorum, &c.* desumpta sunt Ierem.cap.7.n.34.& cap.25.n.10.

CAPVT DECIMVM NONVM.

HIc textus satis explicatus est in antecedentibus, præcipuè cap.14. in principio & in fine à n.14. Illud tamẽ eget explicatione, an scilicet Christus Dominus venturus sit ante iudicium vniuersale cum sanctis suis ad destruendum Antichristum, id enim innuere videtur hic textus. Sanè hic articulus difficilis est apud interpretes, qui obseruant, rem esse obscuram, quam indicabit tunc rerum experientia. Credo tamen, quod Dominus noster venturus sit in sua sanctissima persona, & id etiam sentit Ioachimus Abbas, vir Propheticus. Referam eius verba in præsenti: *Cum autem apertè liquet, eũ qui sedet in equo albo Christum esse, quæritur vtrum per se ipsum visibiliter apparere dignetur, vt prælietur eo tempore contra Gentes, an non apparebit visibiliter in se ipso, sed in Sanctis suis: Quidam Sanctorũ asserunt, quod ipse per se veniat ad destruendum Antichristum & regnum eius sequentes authoritatem Apostoli, Et tunc reuelabitur ille iniquus quẽ Dominus Iesus interficiet &c. Quidam vero vtrum Christus hoc faciet, aut nuncius eius dubitare, quam asserere maluerunt. Ego autem puto, quod ipse per se ipsum veniat,* & inferius: *Verum si hoc est, quomodo istud fieri posse dicimus, vt sancti qui venturi sunt cum Christo, appareant cum corporibus suis, nisi fortè partem accipiamus pro toto, vt de illis intelligatur dictum qui post resurrectionem Domini venerunt in Sanctam Ciuitatem, &c. nisi forte intelligatur id quod dicit Apostolus & mortui qui in Christo sunt resurgent primi. Nescimus enim & nescire se profitetur Augustinus, vtrum circa principium illius temporis quod vocatur dies iudicij futura sit resurrectio mortuorum an in fine.*

Verba

Verba illa *Quia venerunt nuptiæ Agni & vxor eius præparauit se*, vel possunt accipi pro possessione gloriæ, Matth. 25. *Et quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias.* Vel possunt accipi pro conuersione ad fidem & gratiam, vt supra cap. 3. n. 20. *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum* & hoc dicitur ratum matrimonium & spirituale inter Deum & iustam animam cap. debitum de Bigam. dicit enim Apostolus 1. Cor. 6. *Qui adhæret Deo vnus spiritus est cum eo.* Vel possunt accipi pro baptismo, quia in illo tempore, cum ceciderit Babylon, venient Gentes ad baptismum, & ideò addit: *Datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti & candido*, in baptismo datur vestis candida, & hoc magis explicat in sequentibus: *Byssinum enim iustificationes sunt Sanctorum.* Baptismus est origo totius iustificationis, vndè in originali Græco in locum *iustificationis* ponitur *Dicaioma*, quod est iustitia, & in plurali *Dicaiomata* significant firmamentum iustitiæ, est enim baptismus firmamentum gratiæ & iustitiæ originalis, cap. veniens de Presb. non bapt. Possunt etiam hæc verba ad populum Israel in mundi fine conuertendum, referri, iuxta illud Oseæ cap. 2. n. 19. *Et sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in iustitia.* Hic populus & gens Israel specialiter vxor Agni dicitur, quia Christus semen Abrahæ apprehēdit, & propter vnionem hypostaticam censetur matrimonium consummatum inter Verbum Diuinū & humanam naturam, cap. debitū de Bigam. & Christus copulauit sibi synagogā, Gloss. verb. *Cognitam* in d. cap. debitum. & verba illa *Iustificationes sunt Sanctorū* populū Israel designant, qui Sanctus dicitur, Ierem. 2. n. 3. *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum eius*, & 3. Esdr. cap. 8. n. 59. *Vos sancti estis Domino*, & n. 71. *Et mistum est semen sanctum alienigenis.*

CAP. VIGESIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IN hoc textu S. Ioannes vidit Angelũ descendentem de cœlo, habentem clauem abyssi, qui ligat Satanã per mille annos, quibus animæ cum Christo regnant in resurrectione prima. Deinde post mille annos soluendus est Satanas ad modicum tempus, qui congregatis Gentibus Gog & Magog, in castra Sanctorum insultabit. sed tunc Deus perdet eos igne missso de cœlo, tandem Christus venit ad iudicium vniuersale, resurgunt mortui, libri aperiuntur, & vnusquisq; secundum opera sua iudicatur, & mors & infernus cum impijs mittuntur in tartara, vbi habitat secunda mors.

EXPOSITIO.

IN hoc textu constituendum esse septimum sigillum, auctoritate Pannonij satis demonstraui cap. 7. in fine, & cap. 8. Agitur in hoc textu de futura pace, quæ erit in tota Ecclesia sub omni cœlo post interitum Antichristi, & religationẽ Satanæ in abysso. Memini me dixisse sub Antichristo duas tantùm leges in mundo futuras, alteram Christi Domini, alterã Antichristi, sed deleto Antichristo eius lex ibit in interitum, vt sola Christi in æternum perseueret, tunc erit vnus pastor, vnum ouile, tunc comedet lupus cum Agno Esai. 11. 6. Tunc Sion habebit pacẽ, & ponetur in ea murus & antemurale Esai. 26. Tunc reprobi cessabunt Esai. 30. 26. Tunc sedebit Ierusalem secura, Zach. 14. 11. Tunc omnes properabunt ad montem Sion (id est Ecclesiam) Mich. 4. 2. Amos 9. 13. Ioel. 2. 23,

Audi verba Pannonij cap. 11. sect. 5. punct. 1. *Beatus qui ad illud tempus peruenerit, quando vbique gentium erit pax & gaudium, & gratiarum actio, quando solus Christus vbique triumphabit, cui laus ab omnibus tribuetur, quia per suam magnam misericordiam liberare dignatus est Ecclesiam suam à tyrannide Antichristi, &c. Tunc vniuersi conclamabunt*

verbum

verbum hoc factum est regnum huius mundi Dei nostri & Christi eius. Quid est factum est? An consummatum est? Non vtique. Neque enim tunc adhuc consummabitur militans Ecclesia in hoc mundo, quæ perdurabit vsquequo veniat Dominus,& sanè cum dicat Dominus in Euangelio, quod sicut fuit in diebus Noe ita erit aduentus eius, sicut erant ante diluuium comedentes & bibentes,& nuptui tradentes, sic erit aduentus Saluatoris,Matth.24. non videtur possibile, vt post illam tribulationem Antichristi, & stragem eius & sociorum, de qua supra cap. 19. homines possint tam breui tempore voluptatibus,ludis, & conuiuijs vacare, vt postea dicemus.

Igitur extincto Antichristo hæc pax,vt dixi cap. 8. durabit per mille annos, sed hoc millennarium non est de numero vulgari,sed symbolicum, nobis vtique incognitũ quo tempore & annis constabit, si longum fuerit, videbitur breue ob iucunditatem pacis;si fuerit breue, pretio sius erit multo tempore,quia melior est vna dies in atrijs Domini super millia.Psalm.83.n.11.Quantum vero tempus futurum sit inter mortẽ Antichristi,& mundi finẽ nemo scit, vt inquit Hugo Cardinalis, & Viegas in cap. 13. comment. 2. sect. 15. ad finem obseruat non posse breue tempus constitui inter mortem Antichristi & iudicium, addit P. Maldonado illos septem annos, quos memorat Ezech.cap.39.n.9. non præcisè septem, sed multos indefinitè intelligendos, & sunt Auctores apud Alcaz. qui annos futuros post Antichristum ad septingentos extendãt, in quibus Ecclesiæ Sabbathum futurum prædicant,in quo nihil certum est, aut esse potest, vnde sigillum hoc siue millennarium indefinitum est,& potest esse vnius anni,potest & multorum. Nec obstat locus Euangelij S. Marci cap.24. n.29. vbi statim post tribulationes persecutionis Antichristi prædicitur iudicium, nam ly *statim* non sic accipi debet,vt in continenti futurum sit iudicium,sed cum aliquo temporis laxamento,vt supra notaui cap.1. n.1. &

licet tempus illud aliquantulum duret, comparatione tẽporis emensi, dicetur *Statim*.

Sed in primis cauendum est ab his qui mille annos huius textus à Christi Domini passione in aduentum Antichristi supputant, affirmantes bellum Gog & Magog id ipsum esse quod Antichristus in Ecclesiam excitabit. Sed magna est ordinis confusio in hoc genere interpretationis, cum enim alligatio draconis in hoc capite describatur sub finem Prophetiæ huius, nulla ratione anni supputari debent à passione Redemptoris, quæ initio Prophetiæ præcessit. Fateor dæmonis vires in passione Christi fuisse eneruatas, & deiectum fuisse à mundi principatu, & alligatum fuisse per victoriam, sed nondum tenebatur apud inferos omni vinculorum genere, nã adhuc permittit Deus nos probari eius suggestionibus, idque monet Apostolorũ Princeps, cum dicit, *Vigilate quia aduersarius vester circuit quærens quem deuoret*, & S. Iacob. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis*, nemo autem fugit, circuit, aut quærit qui alligatus est.

Deinde tranquillitas Ecclesiæ in Sabbatho futura nondum venit, neque experti sumus hoc Sabbathum, & sic mille anni designant illam felicem ætatem, non tempus quod à passione in tempus Antichristi interlabitur, & bellum Gog post hanc pacem vniuersalem Ecclesiæ Sanctæ futurum est, & omnino diuersum erit a illo quod mouebit Antichristus, vt probant Perer. Ioach. Abb. Vbertin. & Pannon. in præsenti. Hortolanus in Cantica, quibus accedunt Bulenger & alij apud Alcazar. Audi Pannonij verba in cap. 11. sect. 5. punct. 1. vbi agens de hac pace quæ veniet in Sabbatho Ecclesiæ, continuò subiungit: *Licet per Gog & Magog turbanda sit hæc pax, non fiet tamen tanta tribulatio, quanta præcessit sub Antichristo*, & sunt admodum notanda verba Saluatoris nostri, Matth. 24. *Erit tunc* (notãs tempus Antichristi) *tribulatio magna, qualis nõ fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet*, quæ verba denotant aliam tribu-

tribulationem post illam Antichristi, aliàs abundarent verba illa, *neque fiet*, & sanè vltima tribulatio veniet in fine mundi, videlicet bellum Gog, de quo in præsenti, & mihi compertum est, vtrumque bellum esse diuersum, nam milites Antichristi supra cap. 19. perierunt in gladio Christi, & aues saturatæ sunt carnibus eorum, milites vero Gog in præsenti depereunt igne misso de cœlo, non enim dici debet de eodem bello sæpius agi & tam diuersè.

Vidit etiam S. Ioannes in hoc capite n. 4. *Sedes & sedẽtes super eas*; quod dupliciter interpretor, vel pro duodecim tribubus iam restitutis & Ecclesiæ incorporatis per baptismum, vel pro duodecim dignitatibus Patriarchalibus, quæ in honorem SS. Apostolorum erunt in Ecclesia habentes iurisdictionem vniuersalem in illo Sabbatho Ecclesiæ, recognoscentes tamen superiorem, id est Ecclesiæ Pontificem. Tunc auferetur velamen illud, quo nunc laborant Iudæi ab oculis eorum, & plusquam aliæ nationes Christum feruentissimè prædicabunt, iuxta illud Ierem. 23. *In nouissimis diebus intelligetis consilium eius.*

Deinde inquit, *Et qui non adorauerunt bestiam, neque imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus aut in manibus suis, & vixerunt, & regnauerunt cum Christo mille annis, &c. Hæc est resurrectio prima. Beatus & Sanctus qui habet partem in resurrectione prima.* Hæc verba crux fuere interpretibus, quibus placuit rem totam continuare ab illis verbis, *Et vidi sedes*, dicunt enim resurrectionem primam nil aliud esse quam animæ beatitudinem, nam licet corpora Sanctorum ante iudicium mortua iaceant, animæ tamen illorum nunc viuunt per gratiam & gloriam, & hæc beatitudo animarum dicitur resurrectio prima respectu resurrectionis corporum, quam vocant secundã, qui ergo habuerit partem in hac resurrectione prima animarum, beatus erit, inde & consequenter inferunt sedes esse thronos illos, quibus nunc insident animæ beatæ, & SS. Martyres, & qui non adorauerunt Babylonem, neque dæmonem, aut Antichristum.

Sed

Sed hic interpretandi modus licet subtilis sit, non congruit literæ, nec Apocalypsis contexturæ, nam litera huius textus pertinet ad septimum sigillum, ad Sabbathum Ecclesiæ, ergo hæc resurrectio prima ad illa tempora referenda est, non ad beatitudinem, quam habent animæ beatæ à tempore resurrectionis Christi, si enim illi qui non adorauerunt bestiam & Antichristum, neque acceperunt characterem eius, regnaturi sunt cum Christo in hac resurrectione prima per mille annos, vt dicit textus, ergo mille anni non antecedunt, imò subsequuntur Antichristum. Nec dicat aliquis non esse curandum de serie continuationis in prophetia, nam in Apocalypsi, quæ vnica extasi ostensa fuit S. Ioanni, seruatur rerum ordo, & temporum consequētia, vt obserbant Lyra, Antonin. & Aureol. & eruditè Alcasar in proœm. notat. 9. n. 15. affirmat, eos qui perfectum argumentum assequi non potuerūt, sibi solatium quærere non seruati ordinis. Fateor in Apocalypsi fieri rerum repetitionem, quo certior reddatur explicatio, sed seruato suo tempore & ordine.

Alio modo rem interpretantur Millennarij, quos Græci Chiliastas appellant. Hi dicebant post resurrectionem Christum cum Sanctis in terra regnaturum mille annis, deinde ê terra in cœlum regnum transferendum, huius opinionis fuit Papias Hieropolitanus discipulus S. Ioānis, quem sequuti sunt Irenæus, Iustinus Martyr, Tertull. Lactant. Firmian. Victorin. Apollin. & Seuer. Sed adhuc incertum est qualis fuerit Millennariorum sententia, nam S. Hieronym. in lib. de script Eccles. docet, Millennarios hoc regnum induxisse post vniuersalem resurrectionem. Sancti Doctoris verba sunt: *Hic dicitur mille annorum Iudaicam edidisse deuterosin, quem sequuti sunt Irenæus & Apollinaris, & cæteri qui post resurrectionem aiunt in carne Dominum cum sanctis regnaturum*, & hoc ipsum tenuit Eusebius lib. 3. cap. 39. *Dicit Papias & alia plurima à maioribus sibi tradita miracula, & nouas quasdam parabolas*

Salua-

Saluatoris mille annos futuros post resurrectionem quibus corporaliter regnum Christi in hac terra futurum sit. Sed alij Auctores affirmant, Millennarios non posuisse regnum Christi in terra post vniuersalem resurrectionem, sed statim post interitum Antichristi, tunc enim dicebant futuram resurrectionem primam Sanctorum, vt regnarent cũ Christo mille annis ante resurrectionem vniuersalem, ita P. Alcaz. in proœm. notat. 6. n. 11. *Existimabant Millennarij post Antichristi persecutionem iustos solum resurrecturos, vt cum Christo mille annis in terra regnarent, & post illorum mille annorum spatium, Gogi & Magogi bellum futurum, & tandem generalem omnium resurrectionem, atque extremum iudicium.* Hæc sententia, licet Doctores non audeant eam vt hæreticam damnare, tamen nullo nititur fundamento, & erroris conuincitur authoritate multorum.

Quare dicendum est hanc resurrectionem primam esse mysticam quamdam resurrectionem, idq; innuit hic textus dum addit, *Cæteri mortuorum non vixerunt donec cõsummentur mille anni*, de resurrectione mystica transit ad resurrectionem physicam, vt supra cap. 14. n. 13. de morte mystica ad mortem physicam: *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, ne tamen putaremus resurrectionem primam esse vniuersalem resurrectionem, addit *Cæteri mortuorum non vixerunt.* Igitur hæc resurrectio prima potest intelligi illa conuersio Iudæorum ad fidem, tunc enim resurgent à morte spirituali ad vitam fidei, Ezech. cap. 37. de hac conuersione Iudæorum inquit Apostolus ad Rom. 11. 15. *Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi: quæ assumptio* (id est conuersio) *nisi vita ex mortuis*, vides qualiter Apostolus resurrectionem appellet Iudæorum cõuersionem, & hæc quidem resurrectio prima dicitur, quia Iudæorum conuersio primùm intenditur, ad Roman. 1. n. 16. *Virtus enim Dei est, in salutem omni credenti, Iudæo primùm.*

Potest etiam hæc resurrectio accipi non solum pro cõuersione Iudæorum, sed etiam gentium, nam in illo Sabbatho

batho innumerabiles properabunt ad fidem & baptismū, & hæc conuersio ad Christum, dicitur resurrectio, idque constat ex illo Saluatoris, cum dixit Marthæ: *Resurget frater tuus*, credebat autem Martha sermonem esse de resurrectione vniuersali, *Scio quia resurget in resurrectione, &c.* & non loquebatur de illa resurrectione nouissima Saluator noster, sed de resurrectione ad perfectam fidem, nam dixit, *Qui credit in me etiam si mortuus fuerit, viuet*, id est etiam si fuerit mortuus per peccatum, resurget de hac morte ad vitam fidei, gratiæ, & gloriæ, & hic non morietur in æternum, nam fides perfecta liberat à morte secunda, & ideò dicitur in præsenti: *Beatus qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem*, sicut etiam in charitate perfecta dicitur quis translatus de morte ad vitam. 1. Ioan. 3. n. 14. Tunc enim in illo Sabbatho homines vt plurimùm erunt iusti, custodientque veritatem, Esai. 26. n. 1. & 2. & replebitur terra iustitia, & scientia Domini, Esai. 11. 9. Tunc triticum congregabitur excussis paleis, & vberrima seges colligetur in horreum Ecclesiæ. Tunc erunt vestes Christianorum candidæ, vt supra cap. 19. n. 8. Tunc venient nuptiæ Agni, & fiet conuiuium, & cœna magna in tabernaculo Ecclesiæ. Tunc resurgent homines à morte spirituali ad vitam fidei, & à maxima illa Antichristi tribulatione ad magnam felicitatem.

Beati illi qui habuerint partem in illa resurrectione, quando mundus Dei claritate & misericordia illustrabitur & renouabitur. *Beatus* (inquit) *qui habet partem in resurrectione prima*, & est repetitio eius, quod dixerat supra cap. 19. 9. *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*, & Dan. 12. 12. *Beatus qui expectat, &c.* Erūt ergo Beati, quia tunc, ligato dæmone & Antichristo euerso, qui relicti fuerint, nec secuti fuerant Antichristum, audient Verbum Dei, & custodient illud, & regnabunt cum Christo, nec erit inimicus, qui seducat Gentes, vt dicitur in textu, *Et*

missit

missit eum in abyssum, & signauit super eum, vt non seducat amplius Gentes donec consummentur mille anni, en quomodo in illo Sabbatho erunt homines iusti, nec seducentur ab inimico dæmone, & sequentur Christiani iustitiam, & veritatem, & erunt Sacerdotes Dei & Christi, id est in sortẽ eius electi, quocum regnabunt mille annis, id est per illud tempus, quod à dæmonis religatione ad ipsius relaxationem intercedet. Vidit etiam animas Martyrum lætantes de regno Ecclesiæ & euersione Babylonis.

Post mille annos pacis Ecclesiæ soluetur Satanas, & iterùm seducet Gentes, & fiet vt Christiani paulatim à charitate deferueant, atque à prima illa sinceritate spiritus, in carnales appetitus dæmone iterum suggestiente defluant & declinent. O pater discordiarum & turbationis nostræ, qui posuisti bellum in cœlo, in paradyso fraudem, odium inter primos fratres, in omni opere seminas zizania, in esu ponis gulam, in generatione luxuriam, in bono opere ignauiam, in conuersatione delicta, in gubernatione auaritiam, in correctione iram, in dominatione superbiam, in corde cogitationes dolosas, in ore falsas locutiones, in membris iniquas operationes, in vigilijs moues ad praua opera, in quiete ad turpia somnia, & omnia mundi mala tua sunt prauitate commissa, quid mirum soluas illam Ecclesiæ pacem in qua regnabit prima resurrectio. Igitur breui tempore turbabit multos Satanas, vt ambulent in iniquitate, & prauitate cordis, & implebitur quod locutus est Dominus in Euangelio, Lucæ 18. n. 8. *Quum venerit filius hominis, putas inueniet fidem super terram*, tunc iterum erunt sicut in diebus Noe.

Duplex est mors, duplex etiam resurrectio. Prima mors est animæ, cum homo peccat, nam tunc moritur iustitiæ, & ab eo fit separatio gratiæ iustificantis, inquit enim Apostolus, *Stipendia peccati mors*. Secunda mors est æterna damnatio, vt infra n. 14. *Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda*. Est etiam alia mors

corporis, id est separatio corporis & animæ. Resurrectio prima fit cum quis ab infidelitate venit ad fidem per baptismum, vt iustitiæ in posterum viuat, de hac dicitur *Iustus ex fide viuit*, Habac. 2. ad Rom. 1. 17. & hæc est prima vita, nam qui credit in Deum, is viuere dicitur, cæteri mortui sunt, iuxta illud: *Sine mortuos, sepelire mortuos suos.* Secunda resurrectio est possessio beatitudinis, cum quis adipiscitur stolam gloriæ. Est alia resurrectio corporum, quæ in fine mundi erit vniuersalis.

Quænam futura sit hæc Gens Gog & Magog, magna contentio est apud Interpretes huius loci, frequentius receptum est per hanc gentem intelligendos esse Scythas, ego credo quod hæ Gentes venient à Septentrione, à lateribus Aquilonis vt prophetauit Ezechiel cap. 38. n. 15. & sic non solum Scythæ sed & Persæ, & Africani venient, & multi de domo Gomer qui fuit frater Magog, vt constat Genes. cap. 10. n. 2. & de domo Thogorma, qui omnes habitauerunt ad partem Septentrionalem, idem Ezech. n. 2. *Filij hominis pone faciem tuam contra Gog, & terram Magog*, & inferius n. 4. *Et educam te & omnem exercitum tuum, equos & equites vestitos loricis vniuersos multitudinẽ magnam* & n. 5. *Persæ Æthiopes & Libies cum eis, omnes scutati, & galeati, Gomer & vniuersa agmina eius, domus Thogorma latera Aquilonis, & totum robur eius, populique multi tecum.* Ex omni hac multidine componetur hic exercitus, quamquam præcipui omnium futuri sint Scythæ descentes à Magog, vt refert S. Hieronym. in d. cap. 38. Magog filius Iaphet habitauit Scythiam, & ab eo appellata est Magog, vt refert Ioseph. lib. 1. antiquit. cap. 7. Rex autem huius nationis appellatur Gog, vt refert Viegas in præsenti, omnes hos Magogitas Deus igne concremabit, vt dicitur in præsenti & Ezech. cap. 39. n. 6.

Post septimum millennarium, mundus finietur, licet Cornelius in præsenti defendat sex mille annis duraturũ, id probo auctoritate Esdræ lib. 4. cap. 7. n. 31. *Et erit post*

dies

dies septem & excitabitur quod nondum vigilat seculum, & morietur corruptum, & terra reddet quæ in ea dormiunt, & ideò dicitur in præsenti, quòd post bellum Gog sedebit Dominus iudicare mundum, & alludit Psalm. 9. n. 8. Mille anni apud Deum tanquam dies vna. De libro qui aperietur in iudicio diximus supra cap. 5. Sequitur *& libri aperti sunt.* Apertio librorum est manifestatio conscientiarum, vt sint tot libri quot conscientiæ, & est sensus, omnia omnium bona, mala ve facinora reuelabuntur, & singulorum conscientiæ innotescent, cætera vide apud Viegam, & Cornelium. Sit nomen Christi benedictum, Amẽ.

CAP. VIGESIMVM PRIMVM.

CONTINVATIO.

IN hoc capite & sequenti agitur de cœlesti Ierusalem & Ecclesia Triumphanti, vt docet D. August. lib. 20. de Ciuit. Dei, cap. 27. & continuatio huius textus cum antecedentibus est notissima, nam cap. 4. ponitur mare vitreum simile crystallo, quod Empyreum representat, vnde cum in antecedentibus dictum sit de mundo & eius duratione, rectè in præsenti agitur de Cœlesti Ierusalem, de eius opibus, splendore, & gloria, de eius fundamentis, & felicitate.

TEXTVS.

Et vidi cœlum nouum, & terram nouam. N. 1.

Primum enim cœlum, & prima terra abijt, & mare iam non est. Et ego Iohannes vidi Sanctam Ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cœlo à Deo paratam, &c.

DVbitant Interpretes an noui post iudicium creandi sint cœli, & videtur quod sic iuxta illud S. Petri epist. 2. cap. 3. *Cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent, nouos vero cœlos, nouam terram secundum promissa, ipsius expectamus*, & alibi *ego creo cœlos nouos, & terram nouam*. Sed verius est quantum ad substantiam non esse cœlum, neque vllum aliud elementum perimendum, sed omnia renouanda, ita D. Hieron. cap. 24. Matth. & expressius cap. 51. Esai. *Ex quo ostenditur perditionem cœlorum, non interitum sonare sed mutationem in melius*, & idem tenent S. Aug. lib. 20. de Ciuit. Dei. cap. 24. S. Gregor. lib. 17. Moral. cap. 5. Quod attinet ad elementa ignis & aquæ an consumenda sint, magna est controuersia, affirmatiuam sententiam tenet venerabilis Beda in supradicta epist. S. Petri, & Andreas Cæsarienſis auctoritate nostri textus tenuit mare periturum. Sed, vt dixi supra, verius est nullum elementum perimendum, sed omnia purificanda igne conflagrationis seculi, sicut post diluuium Noe vidit cœlos nouos, & terram nouam.

Illa verba *Vidi Sanctam Ciuitatem Ierusalem, &c.* difficillima sunt, nam ablatiuus *à Deo* regitur à verbo *paratã*, cum in originali Græco regatur à participio *descendentem*, hoc modo *Vidi Sanctam Ciuitatem Ierusalem descendentem à Deo è cælo*, id enim sonant verba Græca. *Tin Polin, tin agian, Ierusalen cainin, idon catabainusan à potu theu ex vranou*, sanè Græca contextura omnem nodum soluit, vt bene confirmant Viegas, & Cornel. in præsenti, & tunc sensus verborum est: *Vidi Sanctam Ciuitatem Ierusalem descendentem à Deo*, id est, vidi Sanctos cœlestis Ierusalem, non quasi filios carnis & sanguinis, sed quasi descendentes à Deo, & à cœlo, iuxta illud Ioannis 1. *Qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* & 1. Ioan. 3. & 4 & 5. & hoc bene percepit P. Alcasar dum illa verba, *Descendentem de cælo*, sic versat *Rẽ cælestem atque diuinam*, qui a ciuitas & congregatio Sanctorum

rum tota est diuina & cœlestis, & apertius Viegas. *E cœlo dicitur ea Ciuitas descendere, quoniam electorum prædestinatio, virtus, atque merita cœlestia sunt, atque è cœlo ortum habet.* Ex his apparet Sanctissimam Deiparam habere descëdentiam à cœlo, totam esse cœlestem ab instanti suæ cõceptionis, & ideò in eius Natiuitate non fit mentio Parentum terrenorum.

Dicitur hæc Sancta Ciuitas noua, quia omnia sunt noua post Christum, cuius merito Beatorum multitudo Sanctam Ciuitatem occupat, præcipuè cum omnes habeant nomen nouum Iesu, vt supra cap. 2. n. 17. qui reiecerunt veterem hominem in similitudinem Christi facti. Vel noua dicitur quia admirabilis, & semper noua permanebit sine periculo caducitatis, vt supra cap. 3. n. 12. Dicitur etiam hæc multitudo Beatorum *sponsa parata viro suo*, vt explicetur splendor virtutum, & meritorum illorum Ciuiũ, quibus tanquam pretiosissimis vestimentis amicti, in gloriæ thalamũ & ad nuptias cœlestes ascẽderunt, alludit Esai. 41. *Induit me vestimento salutis & indumento iustitiæ circumdedit me, & quasi sponsam ornauit me monilibus suis.* De hac Ciuitate dicitur, *Ieruſalẽ quæ ædificatur vt Ciuitas.*

Post hæc audiuit S. Ioannes vocem magnam dicentem *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*, id est, ecce Ciuitas Sanctorum. Per tabernaculum gloria ipsa Beatorum designatur Psalm. 14. *Domine quis habitauit in tabernaculo tuo.* Psalm. 41. *Transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei.* Psalm. 86. *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei, sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* Psalm. 18. *In Sole posuit tabernaculum suum.* Hæc est magna lætitia, magna gratia, magna consolatio nostra, quia tabernaculum Dei cum hominibus erit, & vt inquit hic textus, ipse habitabit nobiscum, & erimus populus eius concordat Ezech. 37. 23. Traditum habemus in libris Regum, quod Salomon septem annis ædificauit templum Domino, & in octauo dedicauit illud, in quo latet mysterium,

nam

nam per huius seculi tempus, quod septem voluitur ætatibus, Ecclesiæ fabrica non cessat, sed in octauo tempore dedicatio, & solemnitas aduenient, & hoc etiam indicat resurrectio nostri Saluatoris in die octauo hebdomadæ, vt numerus octonarius nostræ quoque resurrectionis festa ventura designet, idque insinuat Apost. 1. Cor, 15. n 22. *Et sicut in Adam omnes moriuntur : ita & in Christo omnes viuificabuntur. Vnusquisque autem in suo ordine primitiæ Christus ; deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentum eius crediderunt. Deinde finis: cum tradiderit regnũ Deo & Patri.* Quid est tradere regnum Deo & Patri? nisi dedicare Ecclesiam, & filios eius, qui sunt populus, & regnum Christi, dedicandoque tradere Deo, & Patri, vt habitent in tabernaculo eius.

Addit textus, n. 4. quod non erit luctus, neq; mors, neq; clamor, neque dolor illis Beatis, habebunt enim lætitiam sempiternam, ita vt abundẽt omni consolatione, nam post labores & ærumnas tribulationis huius seculi peruenerunt ad fontes aquæ salientis, ad poma Paradisi. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, felices lachrymæ, quas benigna manus Saluatoris absterget, onus enim pœnitentiæ, & tribulationis sustinent iusti in hac vita, non vltra, vt dixi supra cap. 3 ad finem. Nõ erit mors Beatis, neque luctus, neque clamor, & quæ sunt reliqua malorum genera, quia fons, & origo horum auferetur, videlicet mors, quæ morte Domini contrita locum in Beatis non habet, postquam à mortuis in Christo resurgunt, idque etiam eueniret Adamo si non peccasset, nam immortalis foret, & à Paradiso (expleto electorum numero) ad Patriam cœlestem sine morte conuolaret, vt sentit Haymo. In resurrectione corruptibile corpus induet incorruptionem, & mortale mutabitur in immortalitatem.

Deinde inquit is qui sedet in throno, id est, Christus: *Ecce noua facio omnia* nam post aduentum huius amantissimi Domini, noua sunt omnia, & admirabilia, de mortalibus

libus facit immortales, de peccatoribus iustos, de lupis agnos, de ignobilibus, claros, de filijs Satanæ filios Dei, de seruis liberos & Reges, de terrenis cœlestes, ipse enim Dominus cœlos aperuit, clausit abyssum, omnia noua fecit. O qualis illa ciuitas, quam admirabilis, quam sublimis, quãta luce spectabilis. Vides in hoc mundo multa pulchra, amœna, splendida, delectabilia, admiratione digna, sed hæc omnia nihil sunt comparatione nouæ Ierusalem, vbi talia sunt omnia, & adeò noua, vt neque oculus viderit, nec auris audiuerit, neque in cor hominis ascenderit qnãta præparauerit Dominus diligentibus se. Sequitur: *Hæc verba fidelissima sunt & vera*, quia verba sunt Christi, qui nũmquam fallit, est enim fidelis & verax, vt supra cap. 1. num. 5.

Deinde dixit Christus Ioanni: *Factum est*, id est, iam elapsum est tempus, quo erat operandum, quod restat retributionis est, vel factum est omne quod locutus sum mundo, impleta sunt omnia quæ scripta sunt. Addit, *Ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis.* Hic fons Deus ipse est Psalm. 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum*, de quo legimus Sapient. 12. *O quam bonus & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus.* Esai. 60. *Tunc videbis & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris*, id est, abundantia gloriæ. Sed hæc aqua datur fortibus, nam addit noster textus. *Qui vicerit possidebit hæc, & ero illi Deus*, en quomodo Deus ipse fons est, qui rigat aquam suam, & gloriam super fortes, super eos, qui contempta huius mundi figura, fortiter expugnarunt peccata, & blandimenta dæmonis fallacia, neque enim timidi, vt inquit textus, neque increduli, neque fornicarij, neque mendaces bibent de hoc fonte. Timidi sunt qui timent relinquere præsentia pro futuris, qui timent minas potentium, & placent hominibus plusquam Deo, de quibus loquitur Apost. ad Galat. 3. Increduli sunt, qui fide carent. Mendaces sunt qui relicta

lege

lege & præceptis ad falsas dæmonis suggestiones declinant, hi non bibent de aqua fluuij Paradisi cœlestis, hi ibũt in stagnum ignis ardentis, vt supra cap. 19. n. 20. Omnia explicata sunt vsque ad num. 9.

N. 10. Et ostendit mihi Ciuitatem Sanctam Ierusalem, &c. habentem claritatem Dei, & lumen eius simile lapidi pretioso tanquã lapidi iaspidi sicut crystallum, &c.

Hìc describitur ipsa Ciuitas cœlestis Ierusalem materialis, vt bene prodidit Alexander de Hales in præsenti, & fit descriptio ipsius Ciuitatis per partes & dimẽsiones, vndè hìc non ostenditur Ioanni sponsa Agni, sed Ciuitas & palatium sponsæ. Inquit quod hæc Ciuitas habet claritatem Dei, id est, lucem, vt notat Cornelius, idque euidẽtius constat ex sequentibus ibi: *Ciuitas non eget Sole neque Luna: nam claritas Dei illuminauit eam.* Hæc ciuitas in claritate sua similis est lapidi iaspidis sicut crystallo, vt supra explicauimus cap. 4. n. 6. Quæ similitudo significat, adeò eximiam esse Ciuitatem, vt claritas eius varietatem colorum, & pulchritudinem afferat, ad similitudinem vitri crystallini triangularis, quod lucem excipiens varias colorum species videntibus exhibet.

Hæc Ciuitas, vt inquit textus, habet murum magnum & altum, quod dicitur metaphoricè ad denotandam firmitatem æternam cœlestis Ierusalem. Vel aliter murus huius Ciuitatis est Christus. Esai. 26. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator, ponetur in ea murus & antemurale.* Est enim Christus fortissimus murus, quo ciuitas illa munitur & solidatur. Habet etiam hæc Ciuitas duodecim portas, numerus enim duodenarius perfectissimus est, vt dixi cap. 7. & notat Petr. Bung. de numer. myster. nec debebat Ciuitas tam egregia & eximia minori portarum numero decorari,

corari,& terrestris Ierusalem totidem habebat portas, vt referunt Villalp.tom, 3. in Ezech. Salmer. in Prolegom. tract.20. Adricom. in chronograph. Hierosolym. Habet etiam quælibet porta suum Angelum Esai.62 *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes*, & hi Angeli multoties visi sunt deferre in cœlum animas Sanctorum, sicut legimus de SS. Lazaro, Martino, Seruulo, Paulo primo Eremita, Benedicto,& alijs.

In portis huius Ciuitatis inscripta sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel. Per filios Israel non intelligas 12. tribus filios Iacob, sed veros Israelitas, filios Dei, ad Rom.9.n.4. *Qui sunt Israelitæ,quorum adoptio est filiorũ*, & paulò inferius: *Non enim omnes,qui ex Israel,ij sunt Israelitæ, &c. non qui filij carnis,hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis*, per Israelitas in præsenti exprimuntur iusti omnes,præcipuè cùm addiderit numerum duodenarium,qui est vniuersitatis symbolum,vt sup.cap.7. Igitur omnes iusti & mystici Israelitæ scripti sunt in portis cœlestis Ierusalem, per quas intrabunt, idque dixit Dominus in Euangelio, *Lætamini quia nomina vestra scripta sunt in cœlis*, scripta scilicet stylo Dei.

In hac ciuitate tres sunt portæ ad Orientem, tres ad ad Aquilonem, tres ad Austrum, tres ad Occasum, quia nihil inordinatum est in illa Sancta Ciuitate, & æqualis est in omnibus proportio, & æqualiter portæ hominibus patent,dum ad quatuor mundi partes,æquales portæ conspiciuntur, non est enim apud Deum personarum distinctio,nam vult omnes homines saluos fieri, & redemit nos Christus ex omni tribu,gente,populo,& natione,vt supra cap.5.& multitudo illa Beatorum,de qua cap 7. n.9. erat ex omnibus gẽtibus,& tribubus,& populis,& linguis,idest ex omnibus omnino gentibus. Nulli enim, si velit saluari, aditus præcluditur in illa Sancta Ciuitate, omnes ad cœlestẽ Beatitudinẽ vocati sunt. Tres enim portæ ad quodlibet latus Sanctæ Ciuitatis designant tres Diuinas Personas SS.Trinitatis, vt intelligamus sine fide huius mysterij impo-

impossibile esse intrare per illas portas. Nota quòd in profectione Hebræorũ talis fuit positio castrorũ, vt castrametarentur tres tribus ad Oriẽtem, tres ad Aquilonẽ, tres ad Meridiem, tres ad Occasum, Num. 2. vide Ezech. 48. 31.

Habet murus Ciuitatis fundamenta 12. Hæc sunt 12. Apostoli, vt dicitur hìc & cap. fundamenta de elect. in 6. Apostoli sunt fundamenta, id est Fundatores S. Ciuitatis, quia ipsorũ humeris in summo lapide Christo illius Ciuitatis murus quasi innixus recumbit. Magna est SS. Apostolorum dignitas, magna debet esse apud omnes reuerẽtia. Hi sunt 12. fontes aquarũ in Helim, Exod. 15. Num. 33. de quibus Esai. 12. *Haurietis aquas de fontibus Saluatoris.* Hi sunt 12. leunculi throni Salomonis 3. Reg. 10. Hi sunt 12. boues maris ænei 2. Paral. 4. Hi sunt 12. lapides Iordanis, Ios. 4. Hi sunt 12. gemmæ rationalis, Exod. 28. Hi figurati sunt in 12. Patriarchis, in 12. Tribubus, in 12. titulis quos erexit Moyses, Exod. 24. & in 12. panibus propositionis, Leuit. 24. & in 12. exploratoribus missis in Chanaam, Num. 13. Hi sunt fundamẽta, super quæ iusti ædificati sunt, Ephes. 2. Omnia explicata sunt vsq; ad num. 15.

N. 26. Et Ciuitas in quadro posita est, & longitudo eius tanta est, quanta & latitudo, & mensus est per stadia 12. millia, & longitudo & altitudo & latitudo æqualia sunt.

Quamuis figura rotunda perfectior sit quadrata, tamen in ædificijs aptior est quadrata, quia commodior, fortior, & pulchrior, est namq; perfectior architectura in quadrata. Græcum originale pro *inquadro* habet *tetragonos*, id est quadrangulus, sed melius dicitur *in quadro*, quia quadrangulus potest esse rectangulus; nec habere perfecti quadri figuram, de differentia quadrati geometrici & quadrãguli vide Cornel. hìc. Ex his licet coniectari Empyreum nõ esse rotundum, sed quadratum in superficie conuexa, ita

Moli-

Molina de opere sex dier. disp. 3 & S Clemens id ostendit lib. 7. Const. Apost. cap. 36. *Cœlum factum est in modum cameræ instar quadrati lapidis stabile.*

Ciuitatis longitudo tanta est quanta latitudo, aliàs non esset geometricè quadrata, quod non est æquilaterum nō est in quadro perfecto, nihil enim in ea Ciuitate imperfectum est, alludit Ezech. 48. Stadia 12. millia efficiunt milliaria 1500. Hispanè *quinientas leguas*, & hoc in longitudine, eadem est latitudo, erit ergo tam ampla & longa Ciuitas illa, quantum currit distantia itineris à Granatensi Ciuitate ad Argentinopolim in hoc Antartico Peruvij tractu. Felix ille qui ad illius magnificētissimæ & pulcherrimæ Ciuitatis aspirat incolatum.

Æqualis proponitur longitudo & latitudo & altitudo huius Ciuitatis, quod videtur impossibile, nam altitudo fabricæ si esset 12. millium stadiorū, altitudo muri esset improportionata quæ statim dicitur esse 144. cubitorum. Quare dicendum est hanc æqualitatem non esse ponendā in mensura ipsa geometrica, sed in proportione, qualis esse debet in illa perfecta Ciuitate, & id benè percepit Alcazar dum verba illa *æqualia sunt* versat *æquabilia sunt*, & Cornelius *Non comparatur hìc altitudo cum longitudine & latitudine, sed quælibet ex his mensuris in se considerata dicitur esse recta & æqualis.* Omnia in ea Ciuitate æqualia sunt siue longitudinem consideres, siue latitudinem, siue altitudinem, neque in his inuenies imperfectionem, vt aliquando assurgat, aliquando deprimatur & descendat.

Inquit textus quòd Ciuitas & plateæ sunt de auro purissimo, Tobiæ 13. *Portæ Ierusalem ex saphiro & smaragdo ædificabuntur: & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius. Ex lapide candido & mundo omnes plateæ eius sternentur, & per vicos eius alleluia cantabitur.* Ezech. 28. 13. Esai. 54. 11. audi S. Cæciliæ verba cum alacris properaret ad mortem *Hoc non est iuuentutem perdere, sed mutare: hoc est dare lutum, & accipere aurum: dare habitaculum vile & paruum, & accipere palatium amplissimum ex lapidibus pretiosis*

ioſis & auro conſtructum : dare rem perituram, & accipere eum quæ finem neſcit, & mortem ignorat, S. Saluius Epiſcopus conuerſus à raptu dicebat *Felix eſt qui ea agere poteſt in ſeculo vt gloriam Dei mereatur cernere in cœlo*, cumq, rogaretur, vbinam fuiſſet, quidve vidiſſet? Reſpondit: *Apprehenſus à duobus Angelis in cœlorum excelſa ſublatus ſum, ita vt non ſolum hoc ſqualidum ſeculum, verumetiam Solem ac Lunã, nubes & ſidera ſub pedibus habere putarem: deinde per portam luce iſta clariorem introductus ſum in illud habitaculum, in quo omne pauimentum erat quaſi aurum, argentumq; renitens, lux ineffabilis, amplitudo inenarrabilis, & peruenimus ad locum in quo ſuperpendebat nubes omni luce lucidior, in quo non Sol, non Luna, non aſtrum cerni poterat, ſed ſuper his omnibus naturali luce ſplendidius effulgebat.* Hæc refert S. Greg. Turon. lib. 7. Hiſtor. cap. 1. & iurat ſe ab ore Sancti Saluij prædicta accepiſſe.

Dicitur in textu *Et templum non vidi in ea*, & rectè, quia templum fit vt mens ad Deum dirigatur, Beati non indigent templo, quia tota mente & corde in Deum eleuantur, quem vident facie ad faciem, vnde & ſubdit *Dominus enim Deus templum illius eſt & Agnus.* Item verba illa *Et ambulabunt gentes in lumine eius* deſumpta ſunt ex cap. 60. Eſai. n. 3. Hæc ſufficiant pro explicatione huius capitis, cætera clara ſunt, & benè ab Interpretibus explicata.

CAP. VIGESIMVM SECVNDVM.

CONTINVATIO.

IN hoc cap. S. Ioannes cœleſtis Ciuitatis gloriam, & iucunditatem quam ſuperiori capite deſcripſerat, concludit; & agit de fluuio & ligno vitæ, & ad eorum deſiderium mortales excitat, & multa proponit, quibus Prophetiæ huius excellentia demonſtratur, ac tandem accerrimè comminatur, ne quis Apocalypſi quidquam addere, vel detrahere præſumat.

TEX-

TEXTVS.

Et ostẽdit mihi fluuium aquæ viuæ, splẽdidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni. N. 1.

HIc fluuius meo videri nil aliud significat quam fruitionem illam Sanctorum, in beatifica visione consistẽtem, hic fluuius inundat gloriam, quia claritas Dei perpetuò Beatos circumdat, & viuas semperque scaturientes dat voluptatis aquas, quibus vitam perpetuam & beatam confert, vt in Psal. 35. 9. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ & torrente voluptatis potabis eos*, & Psal. 45. *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei*, & alibi *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Esai. 66. 12. *Declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam*, & alibi. *Tunc videbis & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris*, & Eccl. 24. 40. *Ego sapientia effudi flumina, & sicut aquæductus exiui de paradiso. Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum*, hunc fluuiũ adumbrabat fluuius ille templi Ezech. cap. 45. n. 1 & 5. Hic fluuius dicitur procedere, & manare à sede Dei & Agni, nam gaudium Beatorum promanat à visione Dei & Christi, ab his fontibus nascitur fluuius, & exuberans illa effusio donorum gloriæ, Psal. 35. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*, Christus Dominus est imago Maiestatis Dei, vt dicit Apostolus, & hìc alludit ad locum Ezech. 47. n. 12.

In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignũ vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructũ suum, & folia ligni ad sanitatem Gentiũ. N. 2.

Sicut in paradiso terresti erat lignum vitæ in medio, &

fluuius

fluuius voluptatis ad irrigandum illud. Geneſ. 2. n. 9. & n. 10. ita in paradiſo cœleſti eſt fluuius totius delectationis, & lignum vitæ æternæ, vt dicitur in præſenti. Illud dubitationem habet, quod nõ poſſit vna eademque arbor eſſe in medio, & ab vtraque flũminis ripa, vt dicitur in præſenti. Huic dubitationi reſpondet Cornelius quod in præſenti ponitur ſingulare pro plurali: *lignum vitæ*, id eſt ligna, ſiue arbores vitales, vel dic quod lignum in præſenti ponitur genericè, vel collectiuè; *lignum vitæ*, id eſt *omne ligñ vitæ*, Ezech. 47. n. 7. *In ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum*, dixerat. n. 7. *Ecce in ripa torrentis ligna multa nimis*, & concludit. n. 12. *Non defluet folium ex eo & non deficiet fructus eius; per ſingulos menſes afferet primitiua*, quæ verba concordant cum hoc textu, & ſemper Ezechiel vtitur nomine plurali, *ligna multa*, vel vniuerſali, *omne lignum in ripis eius*.

In hoc differt paradiſus terreſtris à cœleſti, quod in terreſtri variæ eſſent arborum ſpecies è quibus vna vocabatur arbor vitæ, in cœleſti verò omnes arborũ ſpecies ſunt vitæ, immortalitatem iucundiſſimam afferentes, vt benè obſeruauit Corn. in præf. qui etiam addit, arbores & poma ad literam vti ſonant accipi poſſe. *Quo circa*, inquit, *fluuius hic, arbores & poma ad literam vti ſonant accipi poſſunt. Quid enim obſtat: nam ſi his in paradiſo terreſtri fruitus eſt Adam, multo magis iiſdem fruentur Beati in paradiſo cœleſti, huius enim ſpecimen & imago fuit terreſtris.*

Putabam poſſe dici lignum vitæ eſſe Dei Maieſtatem & præſentiam, qua Beati omne delectamentum recipiũt, viſio enim Dei Beatos recreat, viuificat, vegetat, & beat, hæc eſt Beatorum eſus & potus, iuxta illud *Guſtate & videte quam ſuauis ſit Dominus*, hæc viſio beatifica eſt lignum ſuaue, de quo ſupra cap. 2. n. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ*, vbi notare debemus non dixiſſe de lignis vitæ, ſed de ligno vitæ, ſicut enim fluuius vitæ de Sanctuario & Dei throno egreditur, vt dixit ſupra n. 1. & Ezech. 47. 12. *Quia aquæ eius de Sanctuario egrediuntur*, ita & lignum vi-

tæ à Dei throno & præsentia nascitur, & ideò in d. cap. 47 Ezech. dicitur quod aquæ ligni de Sanctuario egrediũtur. In Deo est vita, Ioan. 1. n. 4. In Agno etiam est vita, scriptũ est, *Quò ibimus verba vitæ æternæ habes*. In Deo est lignum vitæ, quod affert immortalitatem. In Deo est fluuius vitæ præstans vitam æternam & salutem perpetuam.

Hoc lignum dicitur esse in medio plateæ, & ab vtraque parte fluminis, vnum & idem lignum vitæ in medio & ad latera, in quo vult significare Dei præsentiam in omni loco, ita vt arbor illa vitæ hinc atque illinc tẽdatur per omnem cœlestem paradisum, præstans vitam omnibus Beatis, & in præsenti vtitur metaphora, nam arbores nascuntur in ripa, non in flumine, fluuius vero vitæ totam cœlestem Ciuitatem illuminat, vt supra cap. 21. n. 23. *Claritas Dei illuminauit eam.* In medio plateæ est thronus Dei, & ab eo nascitur lignum vitæ.

Hoc lignum vitæ dicitur afferre fructus duodecim, in quo vult significare iucunditatem ligni & perfectionem arboris vitalis, numerus enim 12. vt sæpè repetitum habeo, perfectissimus est. Hoc lignum dicitur reddere fructum per singulos menses anni, in quo vult significare, perpetuò Beatis gloriam & iucunditatem renouari, adeò vt singulis mensibus, diebus, & horis noua eis sapida, & iucũda sit visio Dei, & fruitio. Folia dicuntur deseruire ad sanitatem, in quo prosequitur metaphoram, nam sicut folia arborum solet Medicina applicare ad sanitatem & vitam temporalem, ita similitudine rerum corporalium dicit folia ligni præstare immortalitatem, & sicut dixerat fructus ligni deseruire ad cibum, ita & folia ad sanitatem, eodem modo Ezech. 47. 12. *Et erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam.*

Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc: & qui iustus est, iustificetur adhuc. N. 11.

Diffi-

Difficile est quod dicit. *Qui nocet noceat adhuc*, durus quippe esset sermo, nisi acciperetur ironicè, dixerat: *Ecce venio velociter*, nūc minatur, eia insani peccatores, qui peccat, peccet adhuc, iam venio velociter reddere vnicuiq; secundum opera sua, vt postea subdit, qui in sordibus est, sordescat adhuc, similis ironia & comminatio est in cap. 11.n.9.Eccles. *Lætare iuuenis in iuuētute tua*, deinde addit, *& scito quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.* Igitur qui iustus est, iustificetur amplius, qui nocet, noceat amplius, omnibus parata est merces, Esai.cap.62.n.11.iam venit Christus ad iudicium, iam venit Omnipotens Saluator noster reddere vnicuique secundum opera sua, veniat, veniat, omnes diligimus aduentum eius, & ideo spiritus & sponsa dicunt. *Veni*. Vel aliter & ad mores, *Qui in sordibus &c.* Cur non minatur, & dicit quod ibit in infernum, *Sed sordescat adhuc?* Quia grauior est omni pœna permissio peccati.

Claudit Apocalypsim S. Ioannes, dicens: *Contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri huius.* Considera quanta sit huius libri authoritas quando testis fidelissimus, qui testimonium perhibet veritatis, fidem suā interponit. Quis enim sufficienter poterit edicere quanta per S. Ioannem erudimenta virtutum Sancta perceperit Ecclesia. Hic est qui degens in carne adhuc Angelicā ducit vitam. Hic est discipulus dilectionis. Hic dona gratiæ, futuræ gloriæ indicia, & totius veritatis ac doctrinæ semitas demonstrat. Hic inter Sanctos recondita diuinitatis arcana à pectore & fōte Saluatoris melius hausit, & suxit. O Beatissime Ioannes suscipe hoc exiguū munus, & fac gratum sit Saluatori & Redemptori nostro Iesu, cui gratias, glorias, & honores refero, & si qua laude dignum est opus hoc, Deo reddatur, absit mihi gloriari nisi in Christo Domino, in quo summa veritas, vera charitas, chara æternitas. O Domine fac nos te sapere, tibi viuere, tibi mori, te frui in nuptijs cœlestis thalami per æterna secula seculorum. Amen.

INDEX RERVM QVÆ IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

Primus numerus paginam, secundus numerum capitis designat.

A

ADamus si non peccasset, foret immortalis. 103.
Altare significat Ecclesiam. 46. 3.
Altaria extruebantur super reliquias Martyrum. 37
Amor terrenorum. 73. 7
Antipas præclarissimus Martyr. 13. 8
Annus magnus quot constet annis. 28. 1
Angelus deputatus ad offerẽda sacrificia altaris. 45. 3
Angeli multoties plagas inferunt. 47. 6
Angeli diligũt homines. 46. 3
Angeli sunt lampades ardẽtes ante thronũ Dei. 23. 5
Angelorum nomen etiã dæmones cõprehendit. 39. 1
Antichristus diaboli imago. 87. 8
Antichristus negat Patrem, & Filium. 84. 1
Antichristus, terremotus magnus. 38.
Antichristus Sanctos vincere qualiter dicatur. 63. 4
Antichristus veniet cũ creuerint iniquitates, 75. 2
Antichristus fictus Messias. 76. 3
Antichristus filius perditionis & diaboli. 76. 3
Antichristus Rex Turcarum 76. 3
Antichristus blasphemus in Deum, & erit Orbis Monarcha. 76. 4
Antichristus quæ tormenta adhibebit. 77. 9
Antichristus an vnum vel plura inducet sacramenta, 80. 16
Antichristus Babylone nascetur. 81. 16
Antichristi regnum, Ciuitas diaboli. 65. 13
Antichristiani, botri & messes aridæ. 80. 16
Antichristianorũ malitia triplici senario notatur. 82. 16
Antichristianorum character. 83. 16

Antichriſtus cauda diaboli. 71. 4
Apocalypſis nomen Græcum. 1. 1
Apocalypſis, reuelatio eſt Chriſto Dño facta. 1. 1
Apocalypſis omnibus prophetijs excellentior. 1. 1
Apocalypſis præcipuè ſcripta propter ſextum & ſeptimum mundi millennarium. 33.
SS. Apoſtoli præfigurati in varijs rebus. 105. 10
Apoſtoli, & Prophetæ ſunt montes excelſi, & fundamenta firmiſſima Eccleſiæ. 22. 4
Aquę populos deſignāt. 84. 2
Aquæ deſignant perſecutiones. 74. 16
Arbor vitæ in paradiſo cœleſti. 107. 2
Arbor, Principis epitheton. 48. 7
Arbor homines deſignat, 48. 7
Atriū quid ſignificet. 61. 1
Aurum ſymbolum charitatis & veritatis. 9 13
Audire non tantum eſt ſenſu aliquid percipere, ſed opere complere. 12. 1
Auaritia oculorum concupiſcentia. 34
Auaritia ſedet ſuper equum nigrum. 35
Auari ambulant per obſcurū pelagus. 36

B

Babylon ciuitas impiorum. 54. 13
Babylon magna Conſtantinopolis. 75. 2
Babylon antiqua iam extincta reuixit in ſarraceniſmo. 76
Babylon calix aureus. 81. 16
Babylon caput ciuitatis diaboli. 93
Babylon qualiter dicatur facta in tres partes. 95
Babylonis numerus diuitiæ ſunt. 82. 16
Babilonij adorabāt Bel. 82. 16
Balaam conſilium. 13. 12
Baptiſmus nos ſignat ſancto charactere. 79. 16
Baptiſmus origo totius iuſtificationis. 97
Baptiſmus celebrat nuptias cum Chriſto. 97
Baptiſmus fictus Antichriſtianorum. 79. 16.
Beati mortui qui in Domino moriuntur. 89. 13
Beatitudo, manna abſconditum. 13. 12
Bel aureus erat forinſecus, in trin-

trinsecus luteus. 82. 16
Bestia ascendens de mariMahometismus. 75. 1
Bestia ascēdēs de terra Pseudoprophetæ. 78. 11
Bestia prima Antichristus. 78. 11
Bellum Gog & Magog aliud à bello Antichristi. 98
Botri sunt reprobi. 90. 18

C

CAstitas significata per zonā & cingulum. 9. 13
Caput Christi Deus. 9. 14
Calidus & tepidus qui 18. 14
Canticum novum. 85. 2
Canticum Beatorum cur dicatur novum. 31. 9
Calamus designat gratiā & aptitudinem dicēdi. 60. 1
Capita septem draconis quid significent. 69. 3
Calix Antichristianorū 80. 16
Charitas, aurum ignitum. 9. 13. & fol 19
Charitas prima. 12. 1
Character bestiæ & sacramētū Antichristianorū. 79. 16
Character in manu & fronte. 83. 16
Character Antichristianorum. 83. 16.
Character, nota quædam impressa. 83. 16
Christus testis veritatis. 3. 2
Christus cur dicatur testis fidelis. 4. 5
Christus primogenitus omnis creaturæ & Rex Regum. 5. 5
Christº stella matutina. 16. 18
Christus lapis firmus. 21. 3
Christus dicitur leo. 30. 5
Christus Agnus est. 30. 4
Christus natus fuit impleto quarto mundi millennario initio quinti. 33
Christus Sol iustitiæ. 38
Christus vera salus. 43. 10
Christus fortis Angelus. 57
Christus in Cruce omnia possidet. 63. 3
Christus qualiter dicatur occisus ab origine mundi. 36. 3. & 8
Christus speciali titulo dominus noster est. 68 6
Christus an vēturus sit ad destruendū Antichristū. 97
Christus copulauit sibi synagogam. 97
Christº fecit omnia noua. 103
Christus est murus sanctæ ciuitatis Ierusalem. 104. 10
Christi sanguine empti sumus. 5. 5
Christi humanitas similis aurichalco. 9. 15
Christi erga homines benig-

na compassio. 20. 17
Christiani omnes sũt spirituales mystici sacerdotes. 5. 6
Christiani sancti dicuntur. 80. 16
Christiani stellæ sunt. 38
Christiani Dei templũ. 60. 1
Cingulum est symbolum iustitiæ & veritatis. 9. 13
Citharæ benè sonantes iusti. 85. 2
Cithara Crucis symbolũ. 31. 7
Cithara instrumentũ aptum ad confessionẽ Dei, 85. 2
Ciuitas diaboli tribus constat. 93
Circunciſio, character Iudaismi. 79. 16
Cœlum mare nuncupatur. 23, 6
Cœli an noui creãdi sint post iudicium. 102
Cœlestis Ierusalem dicitur ciuitas noua. 103
Cœlestis Ierusalem quam pulchra. 104
Cœlestis Ierusalem pulchritudo. 106. 26
Color rufus Deo infestissimus. 35
Constantinopolis bestia ascẽdens de mari. 75. 1
Constantinopolis ciuitas magna appellatur. 75. 1
Constãtinopolis Babylõ magna appellatur, 75. 2
Constantinopolis penè extincta reuixit. 75. 3
Constantinopolis designatur numero 666. 82, 16
Constantinopolis est Babylon. 93
Confessarij non debent obsequijs mendacibus pœnitẽtes fallere. 19. 17.
Comminatio tribuit spem veniæ. 11
Cornua Agni designant plenitudinem potestatis, & fortitudinis. 30. 4
Cornua designãt Reges. 71. 3
75. 1
Cornua similia Agni. 78. 11
Corona, iudicij symbolum. 89. 14
Corpora damnatorũ instar carbonũ in inferno. 88. 9
Crucis dominicæ excellentia. 41. 3

D

DAmnati sunt in æterna obliuione. 88. 9
Deus fuit, est, & erit. 4. 4
Deus prior omni tẽpore. 4. 4
Deus æternus sine principio & fine. 6. 8
Deus quibus irascatur. 66. 15
Deus non recordabitur amplius damnatorum. 88. 9

Deus fons vivus. 104
Dei iudicia quatuor 36
Dei timor cõmendatur. 86. 6
Dæmonum ſocietas peior omni morte. 52. 1
Diabolus mõs peſtifer. 49. 8
Diabolus Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. 53. 11
Diabolus dicitur draco. 69. 3
Diabolus quãdo ſibi locũ vindicat in Chriſtianis. 72. 7
Diabol° beſtia coccinea. 75. 1
Diabolus beſtia prior. 78. 11
Diabolus equus impiorũ. 94
Diabolus beſtia, quæ fuit & non eſt. 94
Diabolus cauſa omnium malorum, 101
Dives eſt qui cum Chriſto pauper eſt. 12. 8
Diuitiæ, fundamenta Babylonis. 82. 16.
Diuitiæ mundi quàm facile pereant. 82. 16
Diuitiæ explicantur per numerum 666. 82. 16
Diuitiæ facilê pereunt. 62. 3
Diademata Reges ſignificant. 75. 1
Doctrina impios vincit. 17. 1
Deuteronomium eſt lex ſecunda. 81. 16.
In Deo ſumma bonorũ voluptas reperitur. 73. 7

E

Eccleſia in candelabro repreſentata. 8. 12
Eccleſia in Luna ſignificata. 38
Eccleſia ſignificata per cœlum. 73. & fol. 38
Eccleſia mulier appellatur. 67. 1
Eccleſia præfigurata in monte Sion. 84. 1
Eccleſia ficta Antichriſti. 77. 11
Elias & Henoch in Ieruſalẽ martyriũ habebunt. 64. 8
Elias & Henoch venturi ſunt nouiſſimis diebus. 61. 3.
Epiſcopus debet ſimulatam ſubditorum ſanctitatem detegere. 11. 1
Epiſcopus eſt locus Eccleſiæ. 12. 1
Epiſcopus Eccleſiæ fundamentum 12. 1
Epiſcopi, Eccleſiæ mõtes. 39
Epiſcopi quare appellentur Angeli. 11. 1
Epiſcopatus graue onus. 17. 1
Euchariſtiæ ſãctiſſimũ ſacramentũ dicitur calculus cãdidus, & quare. 14. 12
Euchariſtiæ ſacratiſſimũ Sacramentũ magnoperè veneratur in Hiſpania. 14. 12

Euphra-

Euphrates alluit Babylonem. 54. 13
Esau rufus fuit. 35
Exodus Ægypti alium exitū Ecclesiæ designat. 56

F

FAlx messoria & vindemiatoria. 90. & 14
Filij Dei qualiter cognoscāntur. 25. 7
Filij Dei dicuntur à cœlo descendere. 102
Ficta sanctitas Antichristianorum. 78. 11
Ficta sanctitas pseudoprophetarum. 81. 16
Ficus aliquando ponitur pro bonis. 71. 4
Fides designatur per frontem. 83. 16
Fidelium pectora sunt citharæ benè sonantes. 85. 2
Flagella Dei aliquādo de radice charitatis dimanant. 19. 17
Flumen significat calamitates. 74. 16
Fluvius vitæ in paradiso cœlesti. 107. 1
Flumina significant Reges. 49. 10
Fornicatio spiritualis quę? 94
Frons designat intentionem. 82. 16
Fuga velox dicitur volatus. 73. 14
Futura apud Deū certa. 87. 8

G

GEns, lingua & tribus in quo differant. 32. 9
Gladius significat iudicium & vindictam & etiam præmium. 10. 16
Gratia est vinculum amoris. 3. 4
Gratia est principiū, mediū, & finis perfectionis. 3. 4
Gratia omnia vincit. 34
Gratia habet coronam iustitiæ 34
Gratia habet arcum. 34
Græci literis pro numeris vtebantur. 82. 16
Gog & Magog bellum. 97. & 101

H

HIspania locus Ecclesiæ. 73. 14
Hispani descendunt à Iaphet. 32. 9
Hispaniæ Rex constitutus est à Deo dominus Ierusalem. 32. 9
Hispaniæ Reges multum felices propter obsequium, quod præstant Augustissimo Eucharistiæ Sacramento.

mento. 14. 12
Homo significatus per arborem. 48. 7
Humilitas fundamētum virtutis. 16. 18
Humilitatis encomia. 17. 7
Hypocritarū simulatio. 81. 16

I

IEruſalem Ciuitas ſancta. 61. 1
Ieruſalem quare appelletur Sodoma & Ægyptus. 64. 8
Ieſus nomen novum in Circunciſione Chriſto impoſitum. 14. 12
Ieſus idem quod Tetragrammaton. 14. 12
Ieſu nomen accipient Beati. 14. 12
Ieſu nomen is noſcit qui accipit. 14. 12
Imperiū tūc magis firmatur, cum Deo offertur. 25. 8
Impij quaſi mareferuēs. 49. 8
Impij nō videbunt Deū. 87. 9
Impij non putant ſe luctum viſuros. 96
Impijs cœlum reſiſtit. 63. 4
Innocentia habet coronam & arcum, & exit vincens vt vincat. 34
Incenſa ſignificāt Sanctorum orationes. 46. 1
Infernus ſedes ſuperborū. 37
Infernus eſt lacus iræ Dei. 90. 18.
Inferni tormēta quæ. 91. 18
Inferni tormēta æterna. 88. 9
Inſula Regem deſignat. 66. 5
Ira magna Dei in Antichriſtianos. 87. 9
Iris repreſentatio ſanctiſſimæ Crucis. 22. 3
S. Ioannes magnus S. Michaelis prædicator. 2. 1
S. Ioannes Eccleſiæ Aquila. 50. 13.
S. Ioannes adhuc degit in paradiſo, & uenturus eſt. 59
S. Ioannes eſt Angelus habēs Euangeliū æternum. 86. 6
S. Ioannis laus. 108
Iſrael populus per arcam figuratur. 66. & 67
Iſrael filius Eccleſiæ. 68. 2
Iſrael populus dicitur filius Dei. 71. 4
Iſrael populus ſanctus & primus apellatur. 85. 2
Iudæi debent Chriſtum amare. 13. 8
Iudæi in mundi fine conuertentur ad fidem. 41. 4
Iudæi ſignificati per terram. 48. 7
Iudæorum conuerſio eſt reſurrectio prima. 100
Iudicium extremū an futurū in regione aerea. 21. 2

Iudicij

Iudicij dies nulli reuelata. 8. 10
Iudicij dies veniet vt fur. 17. 1
Iudicij dies occulta. 29. 2
Iudicij memoria indicit ad pœnitentiam. 85. 6
Iusti sunt in æterna memoria. 88. 9
Iusti sunt citharæ bene sonantes. 85. 2
Iusti per nomen designantur. 17. 1
Iustitia significata per zonam auream. 9. 13

L

Lachrymæ Sanctorum fœlices. 103
Lex significatur per numerum. 81. 16
Liber vitæ est æterna Dei memoria. 88. 9
Liber signatus sigillis septē est liber præscientiæ Dei. 26. 1
Lignum vitæ, Beatitudo æterna. 12. 1
Luna designat Ecclesiam. 38
Luna designat synagogā. 68. 1
Lutherus Antichristi typus vnum tantum admittebat sacramentum. 80. 16
Luxuria colore rufo notata. 34
Luxuria causa vniuersalis diluuij. 35
Luxuria multa mala producit. 35
Luxuria est gladius magnus diaboli. 35
Luxuria homines destruit. 53. 11
Luxuriæ fœtor peccatoribus dulcis. 87. 9
Luxurioſi homines Reipublicæ pernicioſi. 35

M

Mahomet Antichristi typus. 78. 11
Malitia occulta periculosior. 11. 1
Manus designat operationes. 82. 16
Martyres appellantur testes fideles. 13. 8
Martyres qualiter dicantur petere vindictam. 37
Martyres stolas suas lauant in sanguine Agni. 41. 4
Martyres, Christi testes. 62. 3
Martyres Christi commilites. 84. 1
Martyres sunt Dei victimæ. 89. 13
Martyrum clamores, suauis Deo cantus. 85. 2
Martyrum magna multitudo sub Antichristo. 85. 2

Mare

Mare significat Gētiles. 49. 8
Meretrices vocantur locustæ & quare? 53. 11
Meretricibus lectus & luctus. 15. 18
Messis designat iudicium. 89. 14
Messis homines designat. 90. 14
S. Michael Apocalypsis nuncius. 2. 1
S. Michael habet signum Dei viui. 40. 2
S. Michael Angelus fortis & Aquila magnarum alarum. 58
S. Michael Princeps Angelorum. 72. 7
S. Michael in iudicio cuiusq; hominis se habet quasi cō iudex Christi Dñi. 90. 14
Millennariorū error. 99
Montes significant Reges & potentes & Regna. 66. 15
Mortui quomodo dicantur mori. 89. 13
Mortui mundo qui dicantur. 89. 13
Mors prima & secūda. 101
Mulier epitheton Ecclesiæ. 67. 1
Mundus est liber diuinitatis. 26. 1
Mundus an durabit septem mille annis. 28. 1
Mundus est equus quo vehimur. 37
Mundus quot morbis febricitat. 37
Mysterium idem quod sacramentum. 80. 16
Mysteria reuelantur seruis Christi. 2. 1
Mysteria Dei non reuelantur infidelibus. 61. 1
Multi initio feruentes sunt, sed postea in virtute tepescunt. 12. 1

N

NAbuchodonosor statua duplici senario notatur. 82. 16
Naues significāt pyratas. 49. 8
Nicolaitæ hæretici qui. 12. 1
Negligentia causa damni. 17. 1
Non sufficit audire verbum Dei, sed necesse est illud seruare. 3. 3
Nomen quid significet. 81. 16
Noua Ciuitas vocatur cœlestis Ierusalem. 103
Noua omnia postquā mūdo natus est Christus. 103
Nouissima hora dicitur omne tempus quod labitur à passione Christi in mundi finem. 2. 1
Numer⁹ bestiæ eius lex. 81. 16

Numerus hominis quid sit. 82. 16
Numerus 666. in Apocalypsi. 82. 16
Nuptiæ Agni in cœlo. 97
Nuptiæ inter Christum & synagogam. 97
Nuptiæ Christi in baptismo. 97
Nuptiæ Agni pro conuersione ad fidem. 97

O

OBliuio Dei est sors misera damnatorum. 88. 9
Oculi igniti designant vindictam. 79. 14.
Oculi, symbolum sapientiæ. 31. 4
Opera iustorum sequuntur illos. 89. 13
Oratio optimum odoramẽtum. 46. 3
Orationis vis & efficacia. 31. 7
Orationes significantur per incensa. 46. 3
Origenis error de redditu dãnatorum ad requiẽ. 88. 9
Ostium apertũ, est cognitio mysteriorũ Dei. 21. 1. 17. 7

P

PAlma, martyrij symbolum. 41. 4
Paradosis apud Græcos legẽ significat. 82. 16
Patmos insula in mari Ægeo. 7. 9
Patiẽtia nobis necessaria. 7. 9
Patientia in quibus rebus probatur. 88. 12
Pauperes habent diuitias permanentes. 82. 16
Pax multa diligentibus legẽ Dei, 4 4
Pax Ecclesiæ post Antichristum. 97. & 98
Pacis encomia. 4 4
S. Paulus Angelus fortis. 28. 2
S. Paulus est vox magna totius prædicationis. 29. 2
Peccata qualiter dicãtur peruenire ad cœlum. 95
Peccatum quam miseros facit. 19. 17
Peccator eget collyrio pœnitentiæ. 19. 17
Peccatũ idẽ quod mors. 101
Peccati permissio grauior est omni pœna. 108. 11
Peccatores oculos non habent. 24. 7
Peccatores sunt arbores infructuosæ. 48. 7
Peccatores dicuntur fœnum. 48. 7
Peccatores quasi mare feruens. 49. 8
Peccatores quasi pisces maris. 49. 8

Pecca-

Peccatores citharæ confractæ. 85. 2
Peccatores amãt terrena. 96
Peccatorum via ſpinoſa eſt. 16. 18
Prædeſtinatio eſt res certa & infalibilis. 18. 7
Prædiſtinatorum certus eſt numerus. 18. 7
Prædicator & Doctor debet ſurgere à vita mundana. 61. 1
Prædicationis caritas maxime timenda. 38
Prædicatores inſulæ ſunt. 39
Prædicatores ventos appellamus. 40. 1
Prædicatores debent eſſe oliuæ & candelabra. 63. 4
Prælatus eſt velut locus Eccleſiæ, in quo debent oues quieſcere. 12. 1
Prælatus debet eſſe Agnus & leo. 30. 4
Pondera & menſuras inuenit Sidonius. 36
Principis epitheton eſt arbor 48. 7
Populus inordinatus, fœnum aridum. 48. 7
Populus Iſrael Sanctus appellatur, & primitiæ frugum Dei. 85. 2
Populus Iſrael ſanctus dicitur. 97
Populus Iſrael dicitur vxor Agni. 97
Populi per aquas deſignantur. 84. 2
Pœnitentia quæ differtur, affert damnum irreparabile. 15. 18
Pœnitentia componit peccati diſſonantiam. 85. 2
Prophetiæ nondum explicatæ ſunt tonitrua ſine vocibus. 58
Pſeudopropheta, Apoſtoli Antichriſti. 79. 11
Phiala, calicis & paſſionis ſymbolum. 31. 7

Q

QVi ſanctè luget, ſolatium habebit. 29. 2
Quatuor venti cœli. 40
Quæ obvenerunt filijs Iſrael in exitu de Ægypto, aduenient populo Chriſtiano ſub iniquo Antichriſto. 56

R

REdempti ſunt omnes paſſione Chriſti quantũ ad ſufficientiam. 32. 9
Reges Hiſpaniæ maxime laudantur. 14. 12
Reges Hiſpaniæ domini Ieruſalem diuina permiſſione. 32. 9

Reges significati per flumina. 49. 10
Regnum Antichristi, Ciuitatis diaboli. 65 13
Regna huius mundi præfigurata in capitibus draconis. 69. 3
Regna significata per montes. 70. 3
Religiones tres erunt in mũdo tẽpore Antichristi. 86. 6.
Reprobi vas figuli contritum. 16. 18
Resurrectio prima quid. 99. & 100
Reuelatio mysteriorum Dei non fit carnalibus hominibus. 21. 1
Respondere id est loqui. 43
Romani varia mortis genera excogitarunt. 36
Romani nota in brachio expressa militabant. 83

S

SAcerdotes Ecclesiæ primitiuæ se adstringebant inter vmbilicum & pectus. 9. 13
Sacramentum & mysterium ponuntur pro eodẽ. 80. 16
Sacramenta Ecclesiæ Antichristianæ. 78. 11
Sancti desiderant tempus iudicij. 6. 7
Sancti sunt columnæ fulgentissimæ. 18. 12
Sancti designantur per oculos & animalia oculis plena. 23. 7
Sancti præcipuẽ clamant aduersus auaros. 35
Sancti sunt montes excelsi. 39
Sancti qualiter dicantur cantare canticum nouum. 85. 2
Sapientia huius mundi est animalis & diabolica. 78. 11
Sarracenismus docet omnẽ turpidem. 75. 2
Seniores qui sint. 22. 4
Sensus literalis in visionibus sumitur ex rebus quæ per imagines representantur. 7. 10
Serui sumus Christi Domini titulo speciali. 86. 6
Sigilla septem libri, sunt ætates & millennaria mundi. 26. 1
Sion Ecclesiam præfigurat. 84. 1
Solicitudo terrenorum reprobatur. 73. 14
Solitudo commendatur. 73. 14
Spiritus vitæ à Deo descendit. 64. 8
Stadia 1600. mundum insinuant. 91. 20
Stellæ iustos significãt. 10. 16

Stellæ

Stellæ præfigurant SS. Apostolos, 68. 1
Stola prima & secunda. 19. 17
Stulti sequuntur mundi delitias & voluptates. 73. 7
Superbia est mors & infernus. 36
Superbiam fugiunt serui Dei 16. 18
Supplicium dicitur absinthiũ & quare? 49. 10
Synagoga Satanæ qualem reuerentiam exhibet diabolo. 78. 11

T

TAbernaculum significat gloriam. 103
Testimonium Iesu, prædicatio Euangelij. 7. 9
Templum tabernaculi testimonij. 92
Tempus huius præsentis seculi breuissimum est, si æternitati comparetur. 2. 1
Tempus annum significat, 73. 14
Tempus quantum sit inter mortem Antichristi & iudicium nemo scit, 98
Templum non est in cœlo. 106. 26
Tepidus & calidus qui. 18. 14
Timor Dei maximè commendatur. 86. 6
Timidi qui sint. 104
Tonitrua quid. 58
Thronus Dei cœlum. 72. 4
Tribulatio nos ducit ad gloriam. 7. 9
Tribulatio probat iustos. 13. 8
Tribulatio magna sub Antichristo. 77. 9
Tribus Ephraim & Manasses. 43
S. Trinitas figurata in portis cœlestis Ierusalem. 105
Tuba est symbolum vocis magnæ. 7. 10
Tuba supplicij typus. 47. 6
Turcicum regnum bestia. 75. 1
Turcicum regnum simile pardo vrso, & leoni. 75. 2
Turcicum regnum quarta bestia Danielis. 70. 3

V

VErbum Dei non sat est audire sed necesse est obseruare. 3. 3
Veritas significata per aurũ ignitum. 9. 13
Vindemiatio significat flagellum. 90. 18
Vinea significat Ecclesiam. 90. 18
Vinea significat populum Israel.

rael. 90. 18
Vinea mundum significat. 90. 18.
Vinea significat populum Israel. 90. 18
Vinea mundum significat. 90. 18
Virga & baculus Dei. 60, 1
Virginitas amissa non potest reparari. 85. 2
Virgines neque vident neque audiunt abominationes & vitia. 37
Virginum prærogatiua super alios sanctos. 85, 2
Virgo Deipara est arca præseruata. 67. infin.
Virgo Deipara dicitur à cœlo descendere. 103
Vitiorum ignis. 87. 9
Vox aquarum multarum provindicta & supplicio. 9. 15

Z

ZOna aurea significat iudiciariam potestatem. 9. 13

FINIS.